DE

ARIBERTO II.

MEDIOLANENSI

PRIMISQVE MEDII ÆVI MOTIBVS POPVLARIBVS.

SCRIPSIT

HERMANN PABST

PHIL. DR.

BEROLINI

APVD MITTLERVM ET FILIVM.

MDCCCLXIIII.

ANTONIO HAACKE

PRAECEPTORI CARISSIMO

D.

H. PABST.

Qui primus post Sigonii, Puricellii[1]), Muratorii, Saxii curas de Ariberto II.[2]) Mediolanensi scripsit comes Julinus[3]) cum scientia diligentiaque tum acri subtilique ingenio satis fuit insignis. Atque praesertim quidem omnia ea, quae ad priuatam uel ecclesiasticam archiepiscopi illius uitam spectare uideantur, optime cognita et explorata habuit, ita ut in his hodie quoque uix quicquam adici uel corrigi necesse sit. Non prorsus pari euentu res publicas eius tractauit; sed ut in tali, qualem composuit, unius urbis descriptione fieri solet, historiam generalem non nunquam paululum neglexit, neque magna a paruis satis accurate discreuit. Accedit, quod in exercenda arte critica non semper tam seuere quam sagaciter uersatus est: saepius fabulas quidem suspicatur[4]), raro eas e rerum gestarum serie eiecit.

In eorum numero, quae minus bene tractauit, imprimis sunt memorabiles illae seditiones, quarum altera ualuassores ad certam de feudis legem peruenerunt, altera plebs, ut ita dicam, primum militum auctoritatem concutere coepit. Quae quibus e causis exortae quantique fuerint momenti ad condendam Italicarum urbium libertatem, nostro demum seculo a Leone, a libero barone de Bethmann-Hollweg, ab Hegelio disquisitum est. Praeterea Stenzel, nouissime Gfrörer et Giesebrecht etiam de harum rerum cognitione optime meriti sunt.[5])

---

1) In libro: Ambrosianae Mediolani basilicae ac monasterii hodie Cistertiensis Monumenta. Editione usus sum, quae prodiit Mediolani 1645. in 4⁰.

2) Ita enim, non „Heribertus" eum ipsum nomen suum scripsisse, e documentis originalibus docet Puricelli p. 346. 366.

3) In: Memorie della città e della campagna di Milano ne' secoli bassi, tom. III. Editionem adhibui a. 1760. in 4⁰.

4) Landulfi imprimis senioris, de quo sanissimum fert iudicium, quod tamen ipse non nunquam non sequitur.

5) Neque quae nuper de Haulleville in libri: Histoire des communes lombardes tom. I. 269—281 de Ariberto disputauit, spernenda sunt, quamquam saepius non satis cauit, ne in Landulfi fabulas incideret. — Contra quae de his rebus narrauit Corio (Storia di Milano, riueduta e annotata dal. Prof. Egidio de Magri tom. I. p. 110. 120—125) foedissimis mendis scatent.

Omnes tamen, ut librorum ratio poscebat, quasi praetereuntes de his rebus egerunt, neque quomodo seditiones illae uel inter se cohaereant quaestione satis accurate instituta, neque singulis rebus cum puluisculo exhaustis, id quod nuper Giesebrecht uel libere professus est. Itaque ratum fore putaui, si denuo haec ipsa res ad partes uocaretur. Ratio autem libelli haec fuit, ut postpositis eis, quae iam a Julino bene exposita erant, quorumque summam in regestis subieci, neglecta etiam accurata de primis Conradi II. in Italia successibus dissertatione, quam paulo post alio loco me editurum spero, generalem imprimis causarum conexum ostenderem euincerem que, non casu neque fortuito, sed necessitate quadam duas illas seditiones esse exortas, id unum Ariberti ingenio tribuendum, quod ipsa illius aetate, quodque tam uehementer prouenerint.

Priusquam uero ad id operis accedam, paucis mihi erit disputandum de fontibus, quibus in concinnando libello usus sum.

I.

DE FONTIBVS.

Vniuersum opusculum quasi fundamento superstructum est diplomatis e uariis libris excerptis, quorum regesta partim dabimus in appendice, partim in ipsius commentationis textu. Atque fausta quadam fortuna contigit, ut ex his chartis non solum donationes, placita, generales denique regni Italici illius aeui status conditionesque cognoscantur, sed etiam non raro singulorum factorum series in eis explicetur, ita ut diuersae scriptorum, quae ad nos peruenerunt, narrationes ex eis optime perpendi possint.

Inter grauissimos rerum, de quibus acturi sumus, testes uulgo numerantur antiqui historiae Mediolanensis scriptores Arnulfus et Landulfus senior[1]).

Vterque seditionum illarum, quae Gregorii VII. temporibus a patarenis Mediolani excitatae sunt, aequalis, Landulfus tamen minor

---

1) Disputauerunt de eis Hegel in: Geschichte der Städteverfassung von Italien II. 141; Bethmann et Wattenbach, Mon. SS. VIII. 1—8. 32—35; Wattenbach in libro: Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter p. 335; W. Giesebrecht in: Geschichte der deutschen Kaiserzeit II. 573.

aetate Arnulfo, proprie ne tantorum certaminum memoria interiret, ad scribendum adductus est[1]; uterque, ut illa melius intellegerentur, priorum temporum historiam explicare studuit[2]. Similes igitur in operum dispositione, in exaedificatione prorsus sunt dispares.

Arnulfus enim quam in primo libri sui capitulo pollicitus est „uerbis prolatam communibus simplicem gestorum narrationem, quae reges, pontifices, ciues in urbe Mediolano uel extra, compatriotae in regno Italico gesserint", re uera exsecutus monumentum posteris tradidit utilissimum. Quamquam non prorsus sine ira et studio agit. Principio enim narrationis, praesertim in tertio operis libro, Ambrosianae sedis integritatem contra uindicias Romanas tuetur, effrenatae plebis tumultus eorumque auctores castigat. Postea uero, cum a. 1077. legation iinterfuisset, qua Mediolanenses Gregorii VII. solutionem implorabant, mutatis partibus ipse professus est, se „non improbare nec ullo modo dissentire ab illis omnibus, qui uenales reprobarent consecrationes et sacrorum incontinentiam ordinum" (IV. 12), se „aliter quam usque modo uidisset a longe prospicere, cumque praeteritis praesentia, scriptis scribenda conferret, rubore perfusum fideliter erubescrre, nec barbarismos in uerbis egisse, set aliorum qualibet dicta uel facta temere iudicasse confundi" (IV. 13). Vbi tamen scriptorem non factorum peruerse narratorum, sed iudicii tantum incaute prolati reum se confiteri, recte iam animaduertit Wattenbach; itaque narratorum eius fides hoc dicto confirmatur potius quam atteritur, certeque existimandus est nihil, quantum quidem sciuit, protulisse „impugnando ueritatem aut repugnando iustitiae" (IV. 12). Accedit, quod uel eis in locis, ubi re uera iudicium fert, semper sobrium hominum partiumque arbitrum se ostendit, de priori autem aetate omnino iudicium ferre recusauit „narranda, non iudicanda Ariberti gesta suscipiens" (II. 1). — Ceterum non omnia quidem singula facta satis accurate nouerat, ea praesertim, quae uel in primum librum redegit, ubi et temporum ordinem non nunquam plus iusto perturbauit, uel quae postea non ad Mediolanensem, sed potius ad uniuersam totius regni uel imperii historiam spectantia retulit. Ita, ut exempla afferam, eius narratio, quomodo Aribertus „suorum com-

[1]) Arn. I. 1: Nullis retro temporibus talis ac tanta scribendi fuit occasio doctis pariter et indoctis; cfr. IV 1; de Landulfo u. epistolam dedicatoriam.

[2]) Arn. I. 2: quia ex praeteritis pendent praesentia, ab illis ad ea, quae sunt in manibus, gestorum decurrat oratio. Land. I. 1.

parum declinans consortium inuitis illis ac repugnantibus adierit Germaniam, solus ipse regem electurus Theutonicum" (II. 2) non recte se habet; et postea, ubi de Burgundiae rebus agit, utramque Conradi II. expeditionem illuc factam confundit (II. 8; cfr. quae annotauit Wattenbach n. 72). Sed procedente oratione uel huiusmodi errata fiunt rariora; ea uero, quae de patriae urbis rebus narrat, optimae esse notae, diplomata ostendunt, quibuscum semper fere consentit[1]). In his igitur prae ceteris omnibus nobis erit antesignanus.

Longe aliter iudicandum est de Landulfo seniore, quamuis et ipse in epistola dedicatoria promittat, „quae libris uariis ac cartulis repperisset, quae a uiris uerissimis et catholicis didicisset et urbes Italiae perscrutando cognouisset" posterorum utilitatibus sese fideliter enarraturum. Imo recte iam uiri docti intellexerunt, uehementissimum eum esse partium sectatorem, qui nimio Mediolanensis ecclesiae studio, nimio contra pontifices Romanos eorumque asseclas odio accensus integram sui aeui historiam componere nequiuerit. Sed ne eorum quidem, quae ante eum gesta erant. Cum enim pro archiepiscopatus sui honore omnibus, ut ita dicam, uiribus certaret, fieri non potuit, quin summo dolore affectus de eis, quae sua aetate Mediolani agerentur, ad prisca tempora quasi faustiora et feliciora confugeret, eaque aequalibus suis quasi exemplar et normam ante oculos poneret. Sic omnino fit laudator temporis acti, qui de prioribus hominibus uel rebus sanum et incorruptum iudicium ferre nequeat. Imprimis Ariberto fauet tamquam ultimo, qui ecclesiam Mediolanensem defenderit, auxerit, ornauerit; omnes strenui principis et boni episcopi uirtutes ei ascribit, nullam in eo maculam uidet uel ostendit[2]). Atque non solum quidem archiepiscopum, sed et omnes ecclesiae Mediolanensis participes summis laudibus extollit: clericorum matrimonii uinculis tum plerumque tentorum sobrietatem, disciplinam, doctrinam celebrat; de uassal-

---

1) Cfr. praeter II. 3—5, quae ex „tomo super hac re conscripto" hausta ipse dicit, imprimis II. 20, ubi de Ariberti ultimis diebus agens cum notitiis, quas tertium illius testamentum praebet, optime conuenit.

2) Laudationes eius inuenies praesertim II. 20 sqq.; sententiam primariam, qua omnis Landulfi narratio tenetur, II. 29: Cum Christus Iesus diu ac tempora per multa Mediolanensium ciuitatem super omnes Italiae ciuitates clericis militibus strenuissimis multisque sapientibus atque haedificiis imperialibus eleuasset: in morte praeclarissimi sacerdotis atque archiepiscopi Heriberti, cum quo omnes ecclesiae Ambrosianae ac clericorum eiusdem honores abierunt, malorum ciuium meritis exigentibus, ipsam compescere et comprimere disposuit.

lorum seditione tacet. Ita cum priorum hominum mores in melius conuertendo deformet, ne de singulis quidem gestis bene est instructus; imo saepius uel tum, cum partibus suis nullum exinde fructum euenturum sciret, ad fabellas populares confugit, id quod in Ariberti historia pluribus demonstrabimus. Praeterea copiosas amat descriptiones, imo dicam declamationes, quas suapte natura corruere nemo non uidet. Ut exempla afferam, de Conradi curia Papiensi a. 1037. sic agit (II. 22): „In quo loco, prout erat offensionis causa, alii restituebatur pro facti emendatione optimi auri libra aut argenti marcha, et alii, sicut rei causa habebat, iudicabatur secundum legem; quin etiam aliis secundum legis praecepta manus truncabantur, aliis oculi funditus eruebantur, postremo uero ab alio uita, quae est pretiosior auro, ense regio capite abscisso, auferebatur". Quis est, qui haec a scriptore ex libito suo conficta neget? Cuiusque erit momenti, si „interea quidam transmontanus ante imperatoris praesentiam de curte Leuci super Aribertum" conquestus esse dicatur, cum e diplomatis aliisque fontibus genuinis cognoscamus, non transmontanos, sed Italos archiepiscopum accusasse? Eadem trutina pensanda sunt, quae postea de Mediolanensis urbis obsidione, de uariis exercituum motibus et decursibus, de praeclaro Eriprandi uicecomitis Mediolanensis facinore narrat. Nam Baiguerius ille, Conradi imperatoris nepos, quem Eriprandus interfecisse dicitur, nusquam apud contemporaneos, ne a Wipone quidem commemoratur, qui tamen de omnium regiae stirpis cognatorum fatis accuratissime agit, uel de eis, qui non pro Conrado sed contra eum pugnantes obierunt.

Videmus igitur, Landulfi fidem in primis duobus libris fere esse nullam. Itaque magis etiam, quam adhuc factum, cauendum censuimus, ne in eius narratiunculas incideremus; uix eis in locis, ubi cum aliis melioribus consentit, eum adhibuimus.

De posterioribus Mediolanensium scriptoribus, qui uniuersam patriae historiam concinnare studuerunt, imprimis de Gualvanei Flammae nugis pluribus agere superuacaneum duximus[1]. Ad cognoscendam priorum temporum historiam nullius sunt momenti.

---

[1]) De Ariberto agit in Manipuli Florum cap. 137—146, ap. Muratori, SS. XI. 615—623, Landulfi imprimis narrationibus usus, de suis tamen addens, quae magis etiam risum moueant. Contra qui proxime post Landulfum seniorem de historia Mediolanensi scripserunt Andreas, Arialdi assecla, et Landulfus iunior de S. Paulo Aribertum ne obiter quidem commemorant.

Contra paulo uberius disputandum erit de fonte quodam Germanico, qui ad res Italicas inde ab a. 1037. usque ad a. 1040. illustrandas plurimum ualet, et de quo nostris diebus in diuersas sententias abierunt uiri docti.

Fragmenta illa dico, quae in Annalista Saxone pariter atque in Annalibus Magdeburgensibus seruata scriptorem produnt rebus quas narrat haud dubie coaeuum, in omnibus tamen eius aetatis fontibus, qui ad nos peruenerunt, desiderantur. Quae quidem Waitz ex Herimanni Augiensis Gestis Conradi et Heinrici exscripta coniecit, Giesebrecht cum quibusdam priorum et sequentium annorum locis utrique operi communibus (inde ab a. 1029. usque ad a. 1044.; cfr. Kaiserzeit II. 563) ex Annalibus Hildesheimensibus uberioribus, quam quales nos habemus, depromta contendit. Vterque, nisi fallor, suo iure: uterque tamen re non plane perspecta. Necessarium igitur uidetur, paulo altius repetere omnesque illos, quos Giesebrecht indicat, locos accuratius examinare.

Qua in re primum quidem apparet, ea, quae Annalista et Annal. Magdeburg. ad a. 1029. 1030. de rebus Polonicis tradunt[1]), uix ex Annal. Hildesheim., quales Giesebrecht statuit, deriuata uideri posse, cum illi ante a. 1050. scripti esse nequeant (id quod infra comprobabimus), uiuidissima autem ad Miseconem apostrophe: „Talis ergo est rex Mesecho, haec uiarum suarum abhominanda simplicitas et.“, quae ad a. 1030. in Annal. Magdeburg. ex antiquo fonte seruata est, eius scriptorem huic anno prorsus aequalem, ipsis, quae a Polonis exercebantur, malis afflictum demonstret. Itaque rectius Waitz et Köpke quae ad hos annos spectant Fragmenta Annalibus Quedlinburgensibus tribuerunt, quos medio in enunciato a. 1025. nunc abruptos hucusque pertinuisse ueri est simillimum, quique etiam prioribus annis bella cum Polonis gesta quam maxime tractant.

Aliter nobis iudicandum erit, si ad ea respiciamus, quae inde ab a. 1037. usque ad a. 1043. eadem apud Annalistam et in Annal. Magdeburg. leguntur. Tam pari enim modo hic apud utrumque

---

[1]) Ad uerbum fere conueniunt 1029.: Conradus — inuadens. Hoc ipso anno (Item hoc eodem anno: Annal. Magdeburg.) — effugauit, SS. VI. 677. 678; SS. XVI. 169. Deinde ad a. 1030.: Imperator — ecclesiam. Igitur Miseco inter Albiam (Nam inter Albiam: Annal. Magdeburg.) — effugauit. Ab Annalista utrimque pauca interposita sunt. Ex eodem fonte haud dubie hausta, quae Annal. Magdeburg. 1034. de Richeza regina tradunt, qui annus in Annalistae codicibus deest.

scriptorem ueteris fontis ignoti uerba[1]) cum eis, quae nostri Annal. Hildesheim. tradunt, conexa sunt, ut primo aspectu facile intellegas, haec enunciata non ab utroque scriptore eodem modo e duobus libris concinnari potuisse[2]), sed ex uno eodemque fonte fluxisse, quem Hildesheimensem non iniuria dixeris. Quae ut accuratius cognoscantur, singulos quosdam locos exscribendos curauimus, ubi quae e nostris Annal. Hildesheim. desumta sunt, typis rectis, quae ex ignoto fonte, distinximus cursiuis.

Annal. Saxo 1037.

Imperator natale Domini Verone celebrauit et imperatrix cum filio rege et nuru eosdem dies Imbripoli egit; tuncque in natali sancti Stephani protomartiris Burchardus presul Halberstadensis pontificalem benedictionem a Bardone Mogontino metropolitano suisque suffraganeis Heligenstad honorifice percepit. Imperator post natalem Domini in Salerno oppido generalem conuentum de re publica cum Cisalpinis nostrisque principibus habuit. *Contigit autem, Mediolanensem episcopum* . . . .

Annal. Magdeburg. 1037.

Imperator natalem Domini Verone celebrauit, et regina eosdem dies cum filio Heinrico rege et nuru Imbripoli egit. Eo tempore consecratus est Burchardus Halverstadensis episcopus. Igitur cesar Alpes transscendens cum regni illius maioribus conuentum tenuit de corrigenda re publica. *Contigit quoque et Mediolanensem episcopum* . . .

Clarius etiam elucet ad a. 1038. 1040., ubi ad uerbum consentiunt:

---

1) Sunt autem haec. 1037.: Contigit autem (quoque: Annal. Magdeburg.) — confirmarent. Socrus scilicet Herimanni (Nam socrus: Annal. Magdeburg.) — deperiit. Vto Burgundie tirannus quia in priori machinatione (Item sepe dictus episcopus Mediolanensis quia i. p.: Annal. Magdeburg.) — occubuit (ubi sub finem paululum in uerbis discordant). 1038.: Prescriptus autem Mediolanensis — contrahente. 1039.: In die sancto — consideratur. 1040.: Cunctisque pro uelle dispositis — uictores exierunt (redierunt: Annal. Magdeburg.). Eodem tempore — interiere. A. 1041. integer. 1042.: In assumptione — intravit. Eodem ferme tempore (eod. temp.: Annal. Magdeburg.) — castra metati sunt (ubi in fine paululum discordant). In superiore parte — censum Boemice terrae (B. regionis: Annal. Magdeburg.). 1043.: Rex — celebrauit (ubi tamen in Annal. Magdeburg. uerba et sensus mutilata). Quibus fragmentis Annalistam saepius ex aliis fontibus, e Cosma imprimis et Vita S. Godehardi hausta interposuisse, non mireris; contra Annal. Magdeburg. scriptor, quippe qui breuitatis studiosior, ne omnia quidem, quae in fonte inuenit, exscripsit, et eo ipso bis uel sensum falsauit.

2) Nam Annal. Magdeburg. scriptorem non ex Annalista hausisse, cum recentioribus ego quoque statuo.

Annal. Saxo 1039.

Imperator natalem Domini cum reuerentissima principum congratulatione Goslarie decenter celebrauit. *In die sancto dum ad missam* . . .

Annal. Magdeburg. 1039.

Imperator natale Domini Goslariae cum reuerentissima procerum congratulatione decenter celebrauit. *In die sancto dum ad missam* . . .

Annal. Saxo 1040.

Nouus rex incarnationem Domini Ratispone decenter peregit et purificationem sancte Marie Auguste degens placitum habuit cum Cisalpinis principibus de rei publice stabilitate, *cunctisque pro uelle dispositis* . . . .

Annal. Magdeburg. 1040.

Nouus rex Heinricus incarnationem Domini et purificationem beatissimae Dei genitricis Mariae Augustae celebrans, ibique aliquamdiu degens, placitum habuit cum Alpinis primoribus de rei publicae stabilitate, *cunctisque pro uelle dispositis* . . . .

At haec hactenus. Satis mihi uideor demonstrasse, utrumque scriptorem uberiores quam qui ad nos peruenerunt, Annal. Hildesheim. esse secutum, id quod de Annalista aliis e causis iam antea coniecerat Waitz[1]).

Iam uero altera quaestio instituenda est, quales fuerint Annal. illi, quos cum Giesebrechtio statuimus, Hildesheim. uberiores. Qua in re primum quidem apparet, aetate eos inferiores fuisse nostris, in codice autographo seruatis, ubi secundum Pertzium nunc quoque singulae coaeuorum scribentium manus, usque ad a. 1040. se sequentes discernuntur. Sic quin partim e nostris fluxerint, dubitari nequit. Neque altera eorum pars, quam nouimus, h. e. Fragmenta illa, de quibus proprie nobis agendum, quo referenda sint latet. Cum enim quae ad a. 1037. in Fragmentis nostris leguntur cum eis comparaueris, quae Annal. San Gallenses maiores, Wipo in Vitae Chuonradi cap. 35., Herimannus Augiensis in chronico ad eundem a. narrant:

Annal. San. Gall. mai. 1037.

(Imperator) eundem *episcopum* inde progrediens secum Ticinum

1) Cfr. quae annotauit SS. VI. 548 n. 14, ubi ad annos 815. 847. 852. 1043. legentes relegat. Neque aliter rem se habere de annis 1100. — 1106. amicus quidam, qui haec tempora quasi prouinciam sibi sumsit, mecum communicauit.

adduxit et de improuiso *captum* quasi reum maiestatis *Aquilegensi patriarchae custodiendum tradidit.* Cui ille astute *fuga elapsus*...

Bellum *inter Gozelinum et Votonem comittitur*, in quo *Voto uictus interiit eiusque exercitus* hac illacque diffugit.

Wipo cap. 35.

In ipso placito quidam Hugo comes et alii *quam plures Italici appellabant archiepiscopum Mediolanensem pro multis causis*, quibus eos offenderat. Imperator uero uocato *archiepiscopo praecepit, ut satisfaceret omnibus.* Quod dum archiepiscopus renueret, sensit imperator, omnem illam coniurationem Italiae ipsius consilio factam esse. Et mox *comprehenso* illo retinuit in sua potestate. Deinde *commendauit eum in custodiam Poponi patriarchae Aquilegiensi* et Chuononi duci Carentanorum. . . . Archiepiscopus adducto sibi equo *fugit.*

Eodem anno in Italia *tres episcopi, Vercellensis, Cremomensis, Placentinus apud imperatorem accusati sunt*, quos imperator *comprehensos exulari fecit.*

Eodem anno praefatus consul *Odo* de Francia *in regno imperatoris* quaedam loca inuadens *a Gozelone duce Lotharingorum et filio suo Godefrido* . . . interfectus est.

Fragmenta 1037.

Contigit quoque et *Mediolanensem episcopum*, qui eidem colloquio interfuit, ab imperatore de quadam *infidelitatis* nebula notari et *a comprouincialibus in multis accusari.* Cumque *ab imperatore amoneretur, ut talia corrigeret*, statim cum amicis secessum petiit, indeque regrediens spiritu arrogantie inflatus audenter ait, si quid in proprietate eclesiae sancti Ambrosii inuenerit vel quoquo modo adquisierit, se semper uita comite firmiter habiturum nec ullius iussione uel peticione uel minimum quid dimissurum. A principibus autem ut uel solam imperatoris personam exciperet admonitus predictum tantum sermonem iterando perorauit. Super hoc imperator commotus consiliante senatu iniuste usurpata restitui precepit, eumque *apprehensum Aquilegiensi patriarche Poponi seruandum commisit.* A quo liberius debito habitus post aliquot dies *fuga lapsus euasit* . . . . (Vbi ultima uerba fortasse e nostris Annal. Hildesheim. sumta).

Deinde consentientibus *tribus episcopis, Vercellensi, Cremonensi, Placentino* missis clam nuntiis cum sepe dicto Ottone Burgundie tiranno pacificantur, quomodo ipse in Romanum imperium

... augusto aut fugato aut necato introducatur.... Augustus ex senatus decreto *eosdem episcopos trans Alpes seruandos contulit*, sicque illa conspiratio deperiit.

Vto Burgundie tirannus, quia in priori machinatione condignum sibi exicium non inuenit, alia uia .... perire temptauit. *Vrbem imperatoris*, quae Bera dicitur, sitam *in Lotharingia iuxta marcham Gozelonis ducis filiique Gotefridi* circumquaque debacchatus predando obsedit.... (Vltima uerba iterum fortasse e nostris Annal. Hildesheim. petita et cum alterius fontis concinnata).

Herim. Aug. 1037.

(Imperator) Heribertum *Mediolanensem archiepiscopum infidelitatis accusatum adprehendi iussit eumque Popponi Aquilegiensi patriarchae custodiendum commendauit. Qui fuga elapsus* ...

Episcopi Placentinus, Cremonensis et Vercellensis incusati ab imperatore captique et in exilium missi sunt.

Ipso anno *pugna inter Odonem* ... *et Gozzilonem Lotharingorum ducem conmissa Odo uictus est cum suis* ...

quattuor hos fontes arctiori quodam uinculo coniunctos teneri e rerum, compositionis, uerborum similitudine facile agnoscas. Atque cum Wipone quidem haec cognatio iam eo ipso anno desinit, nisi ea, quae sequenti capite de seditione Parmensi tradit, cum Annal. Magdeburg. narratione a. 1038. conferre uelis; quidque omnino ea ad rem nostram faciat, postea demum explicabimus. Contra Annal. San Gall. mai., fontis ignoti Fragmenta, Herim. chronicon uel ultra Conradi mortem consentiunt, id quod imprimis probatur a. 1040.

Annal. San Gall. mai. 1040.

Rex ... in ipsa *sylua*, per quam iter suum disposuit, plerosque de suis non infimos, heu proh dolor! perdidit. Nam *comes Werinherus* ceteris auctor audendi factus, dum cum eis, *insidiarum* ante se ignarus, saltum *incaute iniit*, inter angustas semitarum fauces simul devenere in locum sibi nimis infaustum, hostium autem fraudi satis accommodum. Ibi *omnigenis telis eminus obruti* moriebantur multi, quoniam illis densitate saltus irretitis copia non erat contra feriendi uel manus conserendi.

Fragmenta 1040.

Ottone ... per *saltuosa et inuia* irrumpente quidam ex latere regis emissi, sperantes se fortiter facturos, *obstructionem quandam* in saltu expugnaturi, inconsulte processerunt, ubi pretensis *in-*

sidiis a sagittariis circumuenti Werinherus comes, primicerius et signifer regis, ... cede *procubuerunt 11. Kal. Septembris. Posteriori die quidam eandem obstructionem ex alia parte aggressi* ... *perempti sunt* ... donec tandem venerabili viro *Guntario monacho* cum legatione regis *aduentente* et acta docente reditumque suadente, pace data et accepta, uictores *exierunt.*

Herim. Aug. 1040.

Rex ad *praestructionem seu municionem siluae* citra et ultra *expugnandam* partem expeditam exercitus per *deuia saltus* in prouinciam misit. Sed cum *11. Kal. Sept. istac, crastino uero die illac milites* siluosa, difficilia et *obstructa loca ingressi*, casso labore iam fatigabundi firmissimam quandam machinam oppugnatum aggredi frustra tentarent, irruentibus undique Boemannis, *caesi* capti fugatique *sunt.* Et qui in prouincia adhuc ex nostris remanserant, *interueniente Gunthario heremita* incolomes *educti redierunt.*

Quibus tabulis rite perpensis, nemini spero dubium fore, quin Herim. tres alios fontes, Fragmentorum scriptor certe Wiponem, fortasse etiam Annal. San Gall. mai. ante oculos habuerit.

Vsus est igitur Herim. praeter Wiponem et Annal. San Gall. mai. opere quodam inter Wiponis aetatem et tempus, quo ipse chronicon composuit, exorto[1]), cuius Fragmenta postea in Annal. Hildesheim. auctiores, inde in Annal. Saxonem et Annal. Magdeburg. transierunt. Fragmenta dico: nam partem ea operis amplioris effecisse, quod res quoque ante a. 1037. gestas comprehenderit, uerba uidentur docere, quibus Annalista de Odone Campaniensi loquitur, quem ipse in in libro suo antea non commemorauerat: „*cum sepe dicto Ottone* Burgundie tiranno[2]). Haud dubie autem liber ille Conradi II. finem, Heinrici III. initia descripsit, neque eum unice secundum annorum seriem dispositum fuisse, ea ex re conicias, quod idem factum Fragmenta ad a. 1043., Herim. in chronico ad a. 1042. referat. Itaque quid probabilius Waitzii coniectura, nihil aliud opus illud fuisse, nisi ipsius Herimanni Gesta

---

1) Herimannum autem ipsis Fragmentis, non Annalibus Hildesheimensibus auctioribus usum manifestum est. Qui enim fieri potuit, ut quae in nostris Annal. Hildesheim. leguntur, quaeque in uberioribus tam arcte cum Fragmentis conexa erant, omitteret omnia, Fragmentorum textum, ut ita dicam, exsecaret?

2) Nisi id e nostrorum Annal. Hildesheim. uerbis: „cum Oudone tyranno *saepe memorato*“ fluxisse statuas.

Conradi et Heinrici? Si id accipias, etiam similitudo illa, quam indicauimus, cum Wipone et Annal. San Gall. mai. — quos Herimannus optime nouerat — facillima est intellectu, qua in re quaestionem a Pertzio motam, num Herim. schedis a Wipone ad Heinrici III. historiam componendam collectis in Gestis illis usus sit tangere nolo. Id unum adicio, Annal. Hildesheim. auctiores, quos statuimus, si re uera Herimanni Gesta secuti sunt, uix ante a. 1050. confici potuisse, id quod supra me demonstraturum promisi.

II.

DE ARIBERTO ARCHIEPISCOPO VSQUE AD A. 1036.

Mortuo 5. Kal. Martias a. 1018. Arnulfo II. archiepiscopo Mediolanensi[1]) „consultu maiorum ciuitatis ac dono imperatoriae potestatis“ successit Aribertus, qui nobili Langobardorum genere, haud dubie inter capitaneos, non inter uassallos minores recensendo[2]), Antimiani natus[3]), postea inter ecclesiae Mediolanensis subdiaconos receptus[4]) custos templo S. Vincentii apud Gallianum praefuerat, quo a. 1007. S. Adeodati corpus transtulit. Iam tum, rebus Italicis ualde perturbatis, Heinrici regis partibus uidetur addictus fuisse[5]), neque postea animum erga eum mutauit. Imo archiepiscopus factus omnibus principum colloquiis ab imperatore uel institutis uel probatis affuit: conuentui Strazburgensi a. 1019., magnae curiae Veronensi a. 1021., magnae synodo Papiensi. Quin etiam post illius

---

[1]) Ad ea, quae de obitus die congessit Giulini III. 113 sqq. addas Necrol. Weissenburgense in: Archiv des historischen Vereins von Unterfranken und Aschaffenburg XIII. 3. 6.

[2]) Ita conicit Giesebrecht, Kaiserzeit II. 318. Nostra opinio nititur eis, quae Arn. III. 2 de Widone Ariberti successore profert: „Heinricus . . . neglecto nobili ac sapienti primi ordinis clero idiotam et a rure uenientem elegit antistitem“, e quibus apparet, antea morem fuisse eligendi pontifices e nobilibus. Hac autem uoce solos capitaneos Arnulfus comprehendit, id quod pluribus docuit Wattenbach in praefatione (SS. VIII. 1).

[3]) Parentes eius fuerunt Gariardus et Berlinda. Haec omnia ipse saepius in diplomatis testatus est, ut in testamento ap. Puricelli p. 371. — Antimianum autem nihil aliud esse nisi „Intimiani“ territorii Mediolanensis, contra Tattium euicit Giulini III. 385.

[4]) Quae Thietm. VIII. 5 de eius praepositura narrat, cum Mediolanensis ecclesiae institutis illius aeui non conuenire, animaduertit Giulini p. 141.

[5]) Id inde concludas, quod inscriptionem, quam tum fieri curauit, Heinrici, non Arduini nomine insigniuit. Edita est ap. Giulini III. 56.

mortem pietatis monumentum ei posuit, constitutis in testamento a. 1034. bonis quibusdam, e quorum reditibus clerus et monachi singulis annis pro „bonae memoriae domini Henrici imperatoris mercede" duos psalmos et cantica canerent[1]).

Quamuis igitur iam uiuo Heinrico magni in rebus Italiae ordinandis momenti Aribertum fuisse haud immerito conicias, eximium tamen industriae et gloriae campum demum defuncto eo nactus est. Tum enim, cum altera Italorum pars et praesertim non nulli principes seculares primum ad Robertum Franciae regem, deinde ad Wilhelmum Aquitaniae ducem se contulissent, ut ipsis uel filiis et regni Italici et imperii Romani coronam offerrent, cumque ex Ariberti et Leonis episcopi Vercellensis arbitrio omnia pendere uiderentur[2]): tum princeps ipse cum aliis quibusdam Lombardiae episcopis die pentecostes a. 1025. Conrado, a Germanis interea electo, „Constantiae occurrit et suus effectus fidem ei fecit per sacramentorum et obsidum pignus, ut quando ueniret cum exercitu ad subiciendam Italiam, ipse eum reciperet et cum omnibus suis ad dominum et regem publice laudaret statimque coronaret"[3]). Vnde quae praemia tulerit, paulo post indicabimus: hic breuiter tangamus, re uera sub finem mensis Martii a. 1026. Conradum ab Ariberto in regni Italici regem coronatum esse, et quidem Mediolani, cum Ticinum, ubi antea Italici reges coronam sumere solebant, post biennium demum ad Conradi partes transiret[4]). Sequenti deinde anno (1027.) Aribertus Conradum Romam comitatus est ad accipiendam consecrationem imperialem, eumque in Lombardiam reducem in subigendis, qui adhuc resistebant, aduersariis quam maxime iuuit. Neque postea eius militiae defuit; imo a. 1034., expeditione imperatoris in Burgundiam facta, ipse una cum Bonifacio marchione „altero lumine regni" aliisque Italiae optimatibus Alpes transgressus non modicum ei auxilium tulit.

Talibus cum pro Germanorum dominatu certaret, eum impera-

1) Puricelli p. 371.

2) Cfr. Wilhelmi epistola Maginfredo marchioni Segusiensi directa ap. Bouquet, Recueil X. 483: Quod si Deo disponente non dimittatur quin fiat (scil. filii electio), curate, ut consensu archiepiscopi Mediolanensis et episcopi Vercellensis . . . effectum obtineat.

3) Ita Wipo, Vita Chuonr. cap. 7. Arnulfi narrationem hic falsam esse, iam in prima libelli parte monui.

4) Cfr. quae Giulini disputat III. 197, quem recentiores secuntur fere omnes.

toris gratiam prae ceteris omnibus assecutum esse non mireris. Neque publica testimonia defuerunt, quanti „tam deuotissimum Deo et fidelissimum sibi archiepiscopum"[1]) Conradus aestimaret.

Atque primum quidem data occasione antiquum illud honoris et auctoritatis certamen, quod inter ecclesiam Rauennatem et Mediolanensem uigebat, aperte in huius fauorem diremerat. Cum enim Romae in imperiali consecratione Heribertus archiepiscopus Rauennas regis dexteram inuadere conatus esset — id quod archiepiscopi Mediolanenses quasi praerogatiuam sibi arrogabant —: tum Conradus primum quidem reiecto illo, cum ipse Aribertus nimio populi tumultu ad solium peruenire non posset, eius amicum et suffraganeum Ardericum Vercellensem ad se asciuerat, „ut pater in filio, magister uideretur in discipulo". Deinde autem indicta synodo constitutum et confirmatum est, ut „in omnibus pontificalibus Rauennas nullo modo in aeternum se Mediolanensi archiepiscopo praeferret, et si forte praesumsisset, canonicae legi subiaceret"[2]).

Ita cum exterior Ambrosianae sedis gloria augeretur, non minus in ipsis archidioceseos finibus archiepiscopi potentia crescere coeperat. Fuit enim Aribertus non alienus quidem a studiis, per totum fere orbem tunc diuulgatis et nouissime per Benedictum VIII. papam et Heinricum II. imperatorem incitatis, quibus corrupta ecclesiae cum doctrina tum disciplina emendaretur: ipse monasteria nonnulla fundauit uel auxit, quin etiam haeresi quadam in Taurinensium finibus exorta quam plurimos milites contra schismaticorum castrum Montemfortem dictum direxisse omnesque, quos repperire potuit, captiuos Mediolanum abduxisse dicitur, ubi ipso nolente pars eorum postea in flammis miserabiliter periit[3]). Multo tamen magis quam disciplinae ecclesiasticae secularium rerum semper rationem habuit, quippe qui summa et potentiae et honoris auiditate incensus imperandi fuerit studiosissimus.

Fundamenta secularis potestatis, qua archiepiscopi Mediola-

---

[1]) Sic in Conradi diplomate d. d. Mediolani 10. Kal. April. a. 1026., cuius summam praebet Giul. III. 199.

[2]) Cfr. de his rebus charta, quam nuper publici iuris fecit Bethmann, SS. VIII. 12 n. 70, ex qua Arnulfi narrationem fluxisse supra iam annotauimus.

[3]) Si Landulfo hac in re fides. Disputationis quidem uerba, quae eodem loco (II. 27) profert, ab Ariberto cum haeretico quodam habitae, genuina non esse facile est intellectu.

nenses Ariberti tempore pollebant, partim in auctoritate missatica, qua iam medio seculo nono saepius singulis in placitis exercita[1]) inde ab a. 876. regulariter fungebantur[2]), partim posita erant in iure, quo propria Ambrosianae ecclesiae bona tenebant. Quamuis enim nullum genuinum regum uel imperatorum ad nos diploma peruenerit, quo iura, quae postea dicta sunt regalia, sancti Ambrosii successoribus conferantur[3]), certe tamen sub finem seculi noni plena immunitate eos usos fuisse chartae ostundunt, quibus ipsi singula praedia simul cum illis iuribus aliis tribuunt[4]). Quae bona cum per se satis ampla essent, temporum cursu piorum hominum donis aucta et plerumque uiris potentibus, capitaneis postea dictis, in beneficium data etiam possessiones, quas illi proprias antea habuerant, uinculo quodam cum archiepiscopis conectebant. Itaque factum est, ut iam mediante seculo decimo, quamuis diu post comites ab imperatoribus instituti liberis arimannis, imo non raro uel clericis Mediolani „iustitias facerent et deliberarent", summa tamen rerum apud archiepiscopos esset. Ariberti denique aetate

---

1) Ita in placito a. 844. ap. Fumagalli, Codice diplomatico Sant' Ambrosiano p. 240, ubi iudices resident „per admonitionem domni Angelberti, archiepiscopo et misso domni imperatoris"; a. 859., l. l. p. 326: Dum reclamasset Petrus . . . ad domnum Angilbertus uenerabilis sancte Mediolanensis ecclesie archiepiscopus et missus domni imperatoris; a. 874., l. l. p. 424: Dum in iudicium residentes domnus Anspertus sancte Mediolanensis ecclesie archiepiscopus et Boso comes, missi domni imperatoris etc.

2) Cfr. Karoli II. Conuentus Ticinensis, c. 12, Pertz, Legg. I. 531: Ipsi nihilo minus episcopi, singuli in suo episcopio, missatici nostri potestate et auctoritate fungantur.

3) Nam Karoli magni diploma, ab Ughellio (Italia Sacra IV, 70) editum, spurium esse recte iam annotauerunt Bethmann-Hollweg in: Ursprung der Lombardischen Städtefreiheit p. 118 n. 7; Hegel II. 71 n. 4.

4) Cfr. Anselmi diploma a. 893. monasterio S. Ambrosii datum ap. Fumagalli p. 529: concedimus omnes res cunctasque possessiones et cortes. Ita uidelicet, ut nulli successorum nostrorum vel alicuius ordinis magnae paruaeque personae liceat aliquando, absque uoluntate seu concessione abbatis aliquam uiolentiam vel exactionem, pastum siue albergariam in eodem coenobio seu in eius cortibus et locis requirere, neque aldiones seu colonos aliqua occasione uexare. — Contra cum dono a. 866. immunitas nondum tradita erat.

Potestas missatica et districtus, qui ex immunitate fluxit, quomodo temporum cursu coaluerint, optime elucet e duobus placitis, mense Iulio a. 905. de eadem fere re habitis (ap. Muratori, Antiquitates italicae medii aeui I. 773 sqq.), quorum in altero Andreas archiepiscopus residet tamquam „missus domni imperatoris" cum iudicibus palatinis, Mediolanensibus etc.; in altero tamquam „archiepiscopus" „cum quibusdam sue ecclesie uenerandis sacerdotibus".

comites Mediolanenses, tunc ex Otbertinorum genere clarissimo orti, ne curtem quidem ducalem obtinebant, sed uel in ipsius archiepiscopi uel in priuati cuiusdam domo iudicia exercebant[1]).

Talibus igitur uiribus fultus iam Arnulfus II. potestatem suam uel ultra fines Mediolanenses extendere conatus erat. Cuius exemplum summa cum alacritate secutus Aribertus maiora petebat. Nostris diebus recte iam Giesebrecht coniecit, eum simile, quali pontifices Romani potiti erant, territorium Ambrosianae cathedrae parare studuisse: rectius fortasse tale dixisset, quale archiepiscopi Rauennates in Romania contraxerant.

Qua in re primum id efficiendum erat, ut, sicut Gerbertus episcopatus Ferretranum et Ceruiensem, Leo deinde Ficoclensem et Regiensem sibi parauerant[2]), ita Aribertus episcoporum suffraganeorum non solum consecrationem, sed etiam cum uirga et anulo inuestituram nancisceretur. Nam cum illius aeui episcopi non solum ecclesiastico, sed etiam seculari potestate praediti essent, ita quodam modo seniorem ciuitatum eum fieri oportebat.

Atque in hoc ipso quidem non modicum profecerat Arnulfus. Cum enim circa a. 1006. Petrus episcopus Astensis, Arduini assecla, relicta sede propria Mediolanum fugisset, et Heinricus rex absente illo episcopatum Adelrico cuidam, Manfredi marchionis Segusiensis fratri, contulisset, tum archiepiscopus primum quidem consecrationem, quae ei competebat, constanter denegauerat; deinde autem, cum Adelricus Romam profectus a Iohanne papa consecrationem accepisset, obsessa urbe Astensi, illum coegerat, ut supplex cum fratre Mediolanum peteret, ibique in ecclesia S. Ambrosii uirgam et anulum suscepti pontificatus supra altare deponeret, quae postea demum largiente Arnulfo resumserat[3]). Eadem uia progressus Aribertus Constantiae a Conrado episcopatum acceperat Laudensem, „ut sicut consecrauerat, similiter inuestiret episcopum“ (Arn. II. 2). Ceteris autem in episcopiis, ubi ius nullum ei competebat, de facto quidem praesulatum amicis et talibus, qui antea ecclesiae Mediolanensis clerici fuerant, comparare nisus est. Ita

---

1) Cfr. Hugonis et Azzonis marchionum placita a. 1021. et 1045. ap. Giulini III. 510; Muratori, Antiquitates IV. 9.

2) Cfr. chartae Gregorii papae V. ap. Mansi XIX. 201 sqq., Ottonis III. ap. Giesebrecht, Kaiserzeit I. 879.

3) Arn. I. 17. 18. De tempore, quo haec acta uideantur, disputaui in: Jahrbücher des Deutschen Reichs unter Heinrich II., tom. II., p. 370 n.

post Leonis mortem episcopatum Vercellensem iam ineunte a. 1026. acceperat Ardericus, Ambrosianae ecclesiae antea canonicus et ipso archiepiscopo familiarissimus [1]. Illorum autem, qui uel paululum ei resistere conabantur, consecrationem cum impedire non posset tam diu tamen protelauit, dum uoluntati suae satisfacerent, id quod postea in Hubaldo Cremonensi pluribus demonstrabimus.

Praeter episcopatus imprimis acquirendae erant abbatiae, uel in suffraganeorum episcopiis sitae, uel adhuc imperiali tantum ditioni subiectae. Ita archiepiscopis Rauennatibus Ottonis III. aetate monasteria S. Mariae in Pomposa, S. Hilarii in Galeata, S. Thomae et S. Euphemiae infra ciuitatem Ariminensem obuenerant. Neque hac in re Mediolanensibus antiqua iura defuerunt. Ut exemplum afferam, abbatia S. Saluatoris, quae Tolla dicebatur, in diocesi Placentina sita iam a. 963. non diocesano, sed archiepiscopo Mediolanensi parebat [2]. Simili ratione Heinrici II. tempore ipse Aribertus monasterium martyrum Filini et Gratiniani, infra Aronam castrum comitatus Sepriensis conditum, cum omnibus pertinentiis acceperat [3]; insignis autem fauoris documentum praeter episcopatum Laudensem Conradus a. 1026. ei contulit abbatiam nobilissimam et locupletissimam Nonantulanam [4].

Denique etiam multa singula praedia sibi comparauit, et ita quidem, ut non solum priuatos usus, sed et omnia iura publica, districtum imprimis et teloneum, de eis exerceret. Peruenerunt ad nos nomina castrorum, quae tali conditione in territorio Laudensi acquisita postea in testamento compluribus Mediolani urbis ecclesiis uel monasteriis delegauit: eorum numerus supra 25 ascendit [5].

---

1) Wipo, Vita Chuonradi cap. 12.

2) Cfr. charta ap. Ughelli IV. 96. 97.

3) Cfr. diploma a. 1023. in Hist. patr. Monum. Chart. I. 439: monasterio domini Salvatoris, sanctorum martirium Filini et Graciliani, quod est fondatum infra castro Arona . . . , quod monesterium ipsum cum omni sua pertinencia uidetur de sub regimine et potestate archiepiscopio sancte Mediolanensis ecclesie, ubi domnus Aribertus archiepiscopus preordinatus esse uidetur. Giulini III. 178 sqq.

4) Cfr. Excerpta e catalogo tabularii monasterii Nonantulani ap. Muratori, Antiquitates V. 678: A. 1026. Nonantulana abbatia Heriberto Mediolanensi archiepiscopo subiecta fuit.

5) Puricelli p. 367: sedimina cum aedificiis, clausuris, hortis, broilis, campis . . . districtis et teloneis. Similiter ea, quae — uel hereditario iure accepta uel postea acquisita — Antimiani habuit, a. 1044. legat cum „tolloneis et districtis“. Puricelli p. 414.

Tanta igitur potentia auctus fieri non potuit, quin Aribertus inter Italiae primates quasi dux ac princeps emineret, quin — ut Heinrici III. regis dicto utar[1]) — „omne regnum Italicum ad suum nutum disponeret".[2]) Iam autem non contentus eis, quae acceperat, uel aliorum iuste parta sibi subicere studuit, ubique prorsus ex libito suo et summa cum uiolentia agens. Ita postea coram Conrado imperatore ab Hugone quodam comite et aliis quam plurimis Italicis propter multas causas accusatus est, quibus eos offenderat. Optime uero quomodo et ipse et eius cognati se gesserint, intellegitur e diplomate supra laudato, ubi de eo eiusque nepote Heinricus rex narrat haec: „In longa Landulfi episcopi egritudine non modicam passa est ecclesia Cremonensis iacturam, maxime a Girardo Heriberti Mediolanensis archiepiscopi nepote, qui audacia patrui sui superbe leuatus quidquid sibi placitum erat iustum aut iniustum potestatiue operabatur in regno. Inuasit itaque cortem et plebem de Arciaco contra uoluntatem et sine permissione multum diuque egrotantis episcopi. Cui cum necesse esset ad episcopalem consecrationem accedere, ab archiepiscopo ut consecraretur impetrare nequaquam ualuit, nisi plebem et cortem, quam iniuste et potestatiue inuaserat, nepoti suo concederet. Cumque in longum pro hac intentione eius protelaretur consecratio, non sponte, sed coacte concessit, quod poterat, consecrationem non aliter consecuturus. Quia uero multum moleste ferebat quod inde fecerat, apud genitoris nostri excellentiam multociens conquestus est, se hoc sponte non fecisse. Cui cum predictam cortem et plebem restituere uellet, sepe et sepissime per suas literas illi mandatum est, ut eas ad partem episcopii habendas relinqueret. Quod numquam impetrare ualuit, sed diabolico instinctu eius legationem paruipendens superius dicta detinuit et alia multo maiora ad genitoris dedecus et uilitatem inuadere non formidauit".

1) In charta Hubaldo episcopo Cremonensi data, edita primum sine anni significatione ap. Muratori, Antiquitates VI. 217 sqq.; postea sub a. 1042. a Zacharis, Episcoporum Cremonensium series p. 104.

2) Archicancellarius autem regni Italici — id quod Giesebrecht, Kaiserzeit II. 628 conicit — non fuit. Imo omnia Conradi diplomata hoc tempore edita Hugonis cancellarii nomen prae se ferunt, archicancellarii Aribonis i. e. archiepiscopi Mogontini, cuius scriptura tantum, ut tunc moris erat, paululum mutatur. Sic etiam in diplomate Farfensi (ap. Muratori SS. IIb. 560, Böhm. 1809), quod Giesebrecht Ariberto ascribit, nihil aliud legitur nisi: „Hugo vice Haribonis".

Ita cum iniuriis suis Aribertus relicuos Italiae principes et ipsum imperatorem contra se exasperaret, pari modo subiectorum animos a se abalienauit, potentia sibi tradita nimis acriter et districte usus. Probauit id primum in ordinandis rebus Laudensibus. Mortuo enim episcopo Laudensi, spreta electione canonica ipse solus ei successorem posuit Ambrosium de suorum numero cardinalium, cui uirgam et anulum tradidit, deinde consecravit. Et cum Laudenses hanc insolitam episcopatus sui constitutionem despicerent, primum omnia eorum oppida suburbana potestatiue subegit, tum ad ipsam urbem progressus eam tam uehementer oppugnauit, ut ciues tandem proposita pacis conuentione episcopum susciperent et ante portas fidelitatis iuramenta praestarent. Recondito igitur ad tempus odio, summo tamen cum feruore uindicandi occasionem exspectabant[1]).

Sed etiam in ipsos Mediolanenses Aribertus „immoderate paululum dominabatur, suum considerans non aliorum animum" (Arn. II. 10). Cuius regiminis unum, nisi fallor, exemplum nobis seruatum est, quo milites imprimis summa indignatione affici oportebat. Cum enim illi priore tempore multa ecclesiis praedia abstulissent, Aribertus temporalia illarum negotia uno, ut ita dicam, ictu emendare ausus est. Adhibitis igitur senioribus superioris suae ecclesiae cardinalibus presbyteris et diaconis, abbates et monachos omnium monasteriorum suo regimini subditorum ante se conuenire iussit. Quibus in unum collectis, praecepit, ut singuli singillatim quaeque monasteriorum suorum necessaria ferrent in medium, et si aliquid molestiae paterentur iniuria persequentium. Tum primum Gothefredus abbas monasterii S. Ambrosii detrimentum lamentatus rogauit, ut in cunctis, in quibus ecclesia sua diminutionis laesionem pateretur, archiepiscopus ad priscam integritatem eam reuocaret. Quo comperto re uera Aribertus „uniuersis necessitatibus pie subueniens et persecutorum rabiem mordaciter compescens"

1) Arn. II. 7. — Eodem modo in regenda abbatia Nonantulana uersatus est. Defuncto enim a. 1036. Rodulfo abbate, successorem ei elegit ipsius nepotem Rodulfum, metropolitanae Mediolanensis ecclesiae antea canonicum; de terris autem monasterii fidelibus suis beneficia tribuit. Cfr. Excerpta Nonant. l. l. p. 679: Rodulfus can. m. M. e. Rodulfi abbatis defuncti nepos eidem in abbatiae regimine, non a monachis, sed ab Heriberto Mediolanensi archiepiscopo electus successit a. 1036.; et charta a. 1028. ap. Tiraboschi, Storia della badia di Nonantola II. 157: Conuenit inter Adelbertus diaconus . . . uassallo domni Ariberti archiepiscopi S. Mediolanensis eccl.; p. 158: coeret suo beneficio, quod ipse Adelbertus diaconus detinere uidetur de parte ipsius domni Ariberti archiepiscopi in integrum. Pluribus de his egit Tiraboschi I. 103. 104.

cunctas querimonias ad incrementum monasterii legaliter determinauit et ablata ecclesiae restituit. Neque aliter in relicuarum ecclesiarum rebus ordinandis eum uersatum esse, ex chartae, qua hac de re instituimur, tenore conicias[1]).

Similia Heinrici II. gesta a. 1014. quanti momenti fuerint ad excitandam et principum et uassallorum minorum seditionem, suo loco demonstrauimus[2]).

Grauem sacerdotis dominatum num iam ferent milites?

III.

DE VALVASSORVM SEDITIONE.

Ex quo primum episcopi in urbibus suis et postea uel in totis comitatibus publica iura adepti erant, saepius inter ipsos et subiectos certamina exorta esse, uel e traditionis fragmentis apparet. Sic iam regnante Lamberto, h. e. circa finem seculi noni Ammulus episcopus Taurinensis a ciuibus suis exturbatus tres per annos absque episcopali cathedra deguerat[3]); sic octoginta fere annis post in ipsa urbe Mediolano similis seditio prouenerat. Vbi cum Landulfus archiepiscopus propter nimiam patris ac fratrum insolentiam ciuium animos contra se excitasset, illi in unum coniurati commisso in urbe proelio eum eiecerant.

Tam dubiis periculosisque temporibus nihil fere episcopis relinquebatur, nisi ut dispersis ecclesiarum facultatibus et clericorum beneficiis uiros potentissimos sibi adiungerent[4]), qui mox hereditarii feudorum possessores facti sub capitaneorum nomine primum inter uassallos locum obtinebant. Contra horum uassallos, uel, ut iam ineunte seculo undecimo dicti sunt, milites secundos (siue ualuassores) minime curabant, nec certa de hereditate minorum feu-

1) Exstat ap. Puricelli p. 362 sqq.

2) In: Jahrbücher des Deutschen Reichs unter Heinrich II. tom. II. p. 418 sqq.

3) Chron. Nonaliciense, Appendix cap. 13, SS. VII. 127.

4) Hoc a Landulfo factum esse, testatur Arn. I. 10; cfr. Bethmann-Hollweg p. 139. Similia simili conditione etiam in Germania occurrunt. Sic in certamine Treuirensi a. 1008. Megingaudus archiepiscopus, ut contra Adalberonem inuasorem auxilia sibi pararet, 80. mansos de rebus S. Martini duobus ualidis militibus tradidit; sic a. 1009. Theodoricus episc. Mettensis, ut imperatori resisteret, ecclesiarum bona potentibus uiris distribuit. Cfr. Gesta Trever. cap. 30, SS. VIII. 171; Gesta episc. Mettens. cap. 48, SS. X. 543. Plura de his inuenies apud Hirsch, Jahrbücher des Deutschen Reichs unter Heinrich II., tom. II. 204 n. 1; 283 n. 3.

dorum lege constituta neque aliis in rebus illorum ratione habita. Itaque factum est, ut posterioribus temporibus capitanei semper fere episcopis adhaererent[1]), eorum gesta non raro determinarent; ualuassores autem summa contra eos ira affecti facile cum eorum aduersariis, secularibus praesertim principibus, se coniungerent. Cognoscimus id imprimis e documentis quibus certamina inter Arduinum marchionem Eporediensem et episcopos Vercellenses et Eporedienses gesta illustrantur: ubi ille episcopiorum „secundos milites pene omnes in periurii crimen“ adduxerat[2]). Neque postea regi Arduino defuerant.

Sed ne defuncto quidem Arduino pax redierat. E Conradi II. diplomate Hubaldo dato[3]) comperimus, Cremonenses, qui inde ab a. 850. episcopis suis restiterant, contra Landulfum (1004—1030) ita conspirasse et coniurasse, „ut eum cum graui ignominia et dedecore de ciuitate eiectum bonis omnibus exspoliarent, terram unam castro cum duplici muro et turribus septem circumdatam funditus euerterent, famulos, qui intererant, cum quibusdam fidelibus canonicis uenales facerent, omnes eorum possessiones tollerent, domus destruerent“, palatio denique ueteri a fundamento obruto aliud maius contra episcopum, fortasse etiam contra imperatorem aedificarent[4]). Eodem modo primum Landulfi successorem Hubaldum tractauerant. Districtum ei abstulerant, censum solitum de molendinis et nauibus ei denegauerant, ecclesiarum terras inuaserant, super ipsum, clericos, monachos, ministeriales assultus fecerant, siluas radicitus euellerant, nullam denique potestatem extra domus suae portam episcopo competere proclamauerant. Neque quamuis

---

1) De magna capitaneorum potentia agit etiam Landulfus II. 26: „honorificentiam atque suarum dignitatum magnificentiam duces nouitiis capitaneis dederunt“, ubi tamen ducum commemoratio inepta est. Cfr. Hegel II. 144.

2) „A t r o c i t e r coegit“ dicit epistola ab Arduini hostibus confecta, ap. Provana, Studi critici sovra la storia d'Italia a' tempi del re Ardoino p. 344. Non tamen ui eos coactos esse euicit Provana l. l. n. 3, qui omnino de hac ualuassorum cum Arduino coniunctione optime egit. Cfr. Allocutio episcopi Iporiediensis ad plebem, ap. Provana p. 340: Maledicimus o m n e s m i l i t e s terram S. Mariae Iporiensis tenentes, qui Ardoino et Amedeo conscilium et adiutorium per aliquod ingenium dederint.

3) Ap. Ughelli, Italia sacra IV. 595; cfr. Literae Conradi ad ciues Cremonenses ap. Muratori, Antiquitates VI. 53.

4) De palatio enim, non de reipublicae forma intellegenda esse diplomatis uerba: „ciuitatem veterem a fundamentis obruissent etc.“ cum Giesebrechtio (Kaiserzeit II. 628) ego quoque statuo (contra Hegelium II. 139 n. 3).

Conradus seuere contra eos progrederetur, postea omni ex parte uidentur quieuisse[1]).

Ita igitur cum Ariberti aetate res se haberent, quis est qui miretur, ualuassores minores, illius seueritate iratos, primum clanculo aduersus eum conspirasse, deinde comperta occasione cuiusdam potentis beneficio priuati in apertam rebellandi audaciam, plures iam factos, proruisse? Quod ubi Ariberto innotuit, consiliis primum eorum insidiis obsistere conatur; ubi uero nil proficit, ui eos superare contendit. Ac primo quidem certamine uicti illi ac uehementer attriti ab urbe discesserunt. Quibus mox comitatuum Mediolani a septentrione uicinorum Sepriensis et Martisamnensis milites, deinde plures regni commilitones, praecipue Laudenses recentis iniuriae memores subuenerunt, ut Arnulfus dicit, „simul mori simulque parati uiuere“ (II. 10).

Sic cum antea quidem singulis in locis tales motus exorti fuissent, Ariberti austeritate primum generalis secundorum militum seditio prouenerat. Quae quantopere hominum illius aeui oculos ad se conuerterit, quantam ubique admirationem mouerit, ex omnibus, quae ad nos peruenerunt, scriptorum testimoniis facile agnoscas. Ita Wipo (Vita Chuonr. cap. 34) sic de ea loquitur: Eodem tempore magna et modernis temporibus inaudita confusio facta est Italiae propter coniurationes, quas fecerat populus contra principes. Coniurauerant enim omnes ualuassores Italiae et gregarii milites aduersus dominos suos et omnes minores contra maiores, ut non paterentur aliquid sibi inultum accidere a dominis suis supra uoluntatem ipsorum. Similiter monachus San Gallensis (Annal. S. G. mai. 1035): Foedus ualidae coniurationis in Italia exoritur. Inferiores namque milites superiorum iniqua dominatione plus solito oppressi, simul omnes illis resistunt coadunati“[2]).

Procedente interea tempore diuersae Italicorum partes clarius etiam apparebant. Contra generalem militum coniurationem etiam principes — uel certe quidem Ariberti suffraganei — se coniun-

---

[1]) Cfr. Literae Adalgarii cancellarii et missi Heinrici III. ad ciues Cremonenses ap. Muratori, Antiquitates VI. 53.

[2]) Ex his sumta uerba Herim. ad a. 1035. Quae Gesta episc. Camerac. III. 55, SS. VII. 487 tradunt: „id consilii cum Langobardis habuerat (Aribertus), qui in commune decreuerant iuramento potentes cum infimis, nulla ratione se passuros quemlibet dominum, qui aliud quam uellent contra eos ageret“ quamuis non recte se habeant, ostendunt tamen, etiam ad Lotharingiae fines rumores de hac re peruenisse.

xerunt. Wipo narrat, eos iterum ualuassorum animos exhortationibus et consiliis placare studuisse. Haud dubie frustra. Tum Aribertus collecto undique exercitu contra eos progressus est. Et cum illi fortiter ad resistendum se praepararent, conuenerunt utrique in campum, qui Malus dicebatur, prope Mottam, locum inter Mediolanum et Laudem situm, ibique ex utraque parte magna strages facta est. In interfectorum numero etiam Adelricus fuit episcopus Astensis, cuius interitus, ut Arnulfus dicit, certaminis factus est terminus. Tum ad propria diuerterunt, secundiore Marte ualuassores comitante[1]).

Vtrique interea ad Conradum imperatorem prouocauerant. Atque primum quidem ualuassores, dicentes „si imperator nollet uenire, ipsos per se legem sibi esse facturos.“ Principes autem tum demum, cum uidissent, se sine alienis auxiliis nihil contra milites effecturos; tum nimium confusi aduentum imperatoris aegre exspectabant[2]).

Inde a Stenzelio satis constat, Conradum uassallos minores, inferiores omnino populi ordines arctioribus uinculis regi coniungere quam maxime studuisse. Apertam quidem contra antecessorum suorum priuilegia rebellionem, sicut Cremonae facta erat, probare non potuit; longe aliter res sese habebat, cum lex tantum firma stabilisque posceretur. Iam antea in Germania militum animos eo multum attraxerat, „quod antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferri sustinuerat“[3]). Quid igitur mirum, eum etiam Italicorum ualuassorum studiis iam tum fauisse, id quod Wipo uersu quodam, certe non ab imperatore, sed a scriptore profecto, ita exprimit: „Si Italia modo esurit legem, concedente Deo bene legibus hanc satiabo“. Praeparata igitur expeditione, circa finem a. 1036. cum Heinrico filio et magno simul exercitu Italiam intrauit. Natali Domini Veronae celebrato inde per Brixiam et Cremonam Mediolanum uenit, ubi ab Ariberto in ecclesia S. Ambrosii magnifice

---

1) Wipo cap. 34. Arn. II. 11.

2) Praecipue hic Wiponis ratio habenda erat, eis, quae in imperatoris aula gerebantur, haud dubie optime instructi. Contra Arnulfi (quem sequitur Giesebrecht II. 318) illud: „prouidit archiepiscopus uocare suum a Germania caesarem“ (I. 12) magis coniectura quam sinceris notitiis niti uidentur. Certe iam tum amicitia inter Conradum et Aribertum non erat firma, imo Bonifacius marchio primum inter Italiae principes locum apud Conradum tenebat. Qua de re plura ap. Giesebrecht II. 310.

3) Wipo cap. 6; cfr. Stenzel I. 64; Giesebrecht II. 310.

susceptus est. Mox autem in ipsa urbe grauis contra eum fit tumultus; ut Wipo dicit, eadem die, flagitante populo, ut imperator coniurationi faueret; ut Arnulfus refert, postridie, sparso rumore, Aribertum a Conrado episcopatu Laudensi priuatum iri. Rectius hic haud dubie Arnulfus: uix enim credideris, ualuassores, antea in castris uel Laudensi in urbe collocatos Mediolanum reduces ceteros ciues adhuc sibi aduersarios ad generalem motum incitasse[1]).

Ineunte mense Aprili imperator Ticinum se contulit, quo generale principum colloquium indixerat, ut cunctis reclamantibus legem faceret. Interfuit huic conuentui et Aribertus, ibique ab ipso Conrado infidelitatis notatus et simul a multis Italicis est accusatus. Conradus quin eum tumultus Mediolanensis auctorem habuerit, dubitari non potest[2]); praeterea contumacia punienda erat, qua archiepiscopus tam multa de praediis Cremonensibus Hubaldo restituendis iussa contempserat. Comprouinciales autem, inter quos Wipo Hugonem quendam comitem nominatim commemorat, de multis, quibus ab illo affecti essent, iniuriis uiolentiisque querebantur. Cum igitur Aribertus ab imperatore admoneretur, ut talia emendaret, primum cum amicis secessum petiit, inde regressus arroganter edixit, semper se uita comite firmiter habiturum quaecunque in proprietate ecclesiae Ambrosianae aut inuenisset aut quoquo modo acquisiuisset, nec ullius iussu uel petitione uel minimum quid se esse dimissurum. A primoribus autem ut uel solam imperatoris personam exciperet admonitus, eadem cum petulantia priora uerba repetiit. Tum Conradus summa ira motus omnia iniuste usurpata ei abstulit et propriis dominis restituit, ipsum autem tamquam „reum maiestatis et proscriptione dignum“[3]) apprehendit eumque Popponi patriarchae Aquileiensi et Conrado Franciae Rhenanae et Carinthiae duci seruandum commisit. Quibus ex uinculis quomodo

---

1) Wipo cap. 35. Arn. I. 12. Ita ut nos Leo, Entwicklung der Verfassung der Lombardischen Städte p. 108 n. 2; Giesebrecht II. 320.

2) Peruerse autem Wipo (eumque secutus Giesebrecht) narrat, imperatorem sensisse, ualuassorum coniurationem Ariberti consilio esse factam. Hoc ex eis quae antecesserant opinari omnino non potuit. Neque confusa Gestorum episc. Camerac. uerba (cfr. p. 26 n. 2) hic ullius momenti sunt.

3) Ita Heinrici III. diploma supra laudatum ap. Muratori, Antiquitates VI. 217. „Reum maiestatis“ etiam Annal. San. Gall. mai. 1037; „imperatori contrarius“ Annal. Hildesheim. 1037.

„post aliquot dies“[1]) liberatus sit, praeter Wiponem et Herimanni Fragmenta comperimus ex ipsius diplomate, a. 1041. coenobio Tollensi dato[2]). Cum enim simul cum imperatore Placentiam ductus esset, quadam nocte Albizo monachus[3]) se eius uice collocabat in lecto, quo ipse iacere solebat, et superducto cooportorio latuit, ut ita custodes falleret. Archiepiscopus autem adducto sibi equo fuga lapsus post multas difficultates superatas Mediolanum uenit, ubi a suis magno cum gaudio receptus est.

Quae res quantum ubique rumorem excitauerint, uix dici potest. „Quis — ita ipse Aribertus in diplomate supra laudato — quis nostre captionis, quis nostrae etiam ereptionis inscius est et nesciat, quod a homine miserabiliter captus et a Deo sim miserabiliter liberatus? Quis ignarus est, nos suffragiis nostrorum sanctorum et adminiculo fidelium nostrorum una nocte hostiles cuneos euasisse, amnes quoque rapidos sine laesione transmeasse“? Neque postea archiepiscopus quae „traditus custodiae, telis, mucronibus circumseptus“ illa nocte deuouerat oblitus est: imo Tollensi coenobio S. Salvatoris, cui felicem e periculis exitum imprimis ascribebat, plurima contulit dona, Albizonem autem „tam egregiae fidelitatis memor“ in abbatiae dignitatem eiusdem monasterii extulit.

Econtra Conradus, paschali festiuitate Rauennae peracta, cum omnibus, quas habere poterat, et Germanicis et Italicis copiis mense Maio ad obsidendum Mediolanum progressus est. Castello quodam, cui nomen erat Landriano, primo impetu expugnato, tertio ab urbe miliario castra locat. Mediolanenses autem promti ad resistendum proxima ciuitatis muniunt loca, urbem ipsam, moe-

---

1) Sic recte Herimanni Fragmenta. Arnulfi „post menses duos“ (II. 12) non recte se habere, annotauit iam Giesebrecht II. 629. Itaque etiam quae de obsidibus tradit, a Mediolanensibus imperatori transmissis, qui nihilo minus archiepiscopum tenuerit, in textum recipere nolui.

2) Exstat ap. Ughelli IV. 103. Ceterum narratio hausta est e fontibus supra a nobis examinatis (cfr. p. 12 sqq.).

3) Wipo cap. 35: „quidam de familiaribus archiepiscopi“. Fragm.: „quodam suo monacho machinante, qui solus cum eo miserationis causa permissus est habitare“. Huic monacho Albizoni nomen fuisse, diploma Ariberti ostendit: „noster fidelissimus Albizo, a cunabulis monachus, nostris in omnibus iussibus obsequens, qui genti ferocissimae se immiscuit et, ut nos liberaremur, capi, vinciri, fame sitique confici et contumeliis affici pertulit“. Vidit id iam Giesebrecht, qui primus etiam Landulfi fabulas (II. 22) reiecit.

nibus altissimis et trecentis fere turribus firmatam quam maxime curant. Cumque primis diebus leuiter tantum ab utrisque pugnatum esset, tandem die dominicae ascensionis, h. e. 14. Kal. Jun. Caesariani omnes castris erumpunt, Teutonibus in dextro, Italis in sinistro bella cientibus. Occurentibus uero ex aduerso Mediolanensibus undique ingrauatum est bellum, donec in prima fronte nobilis quidam Teutonicus statura procerus et Wido marchio Italicus — fortasse ex Aledramidarum gente ortus — signifer regius, media inter tela configerentur. Quibus defunctis „multisque aliis in proprio cruore iacentibus" paulatim tepescente belli feruore, utrique ad propria rediere [1]).

Per totum mensem Maium deinde obsidio continuata est. At cum imperator uideret, se urbem minime capere posse, deuastatis omnibus in circuitu locis exercitum castra mouere iussit. Priusquam uero recederet, legem illam notissimam de beneficiis edidit[2]), ut ipse dicit, „ad reconciliandos animos seniorum et militum, ut ad inuicem semper inuenirentur concordes, et ut fideliter et perseueranter imperatoribus, et suis senioribus servirent deuote".

Quo in edicto primum uassallorum iurisdictio certis normis circumscripta est. Sanciuit enim Conradus, ut nullus miles episcoporum, abbatum, abbatissarum, aut marchionum, uel comitum uel omnium, qui beneficium de rei publicae bonis aut de ecclesiarum praediis tenerent uel iniuste perdidissent, tam de maioribus ualuassoribus (h. e. capitaneis) quam et eorum militibus sine certa et conuicta culpa beneficia perderent, nisi secundum constitutiones antecedentium regum uel imperatorum et iudicium parium suorum. Ita cum iudicia singulorum principum (hos enim sub uoce „seniorum" hic intellegendos esse patet) et capitaneorum arbitrio ademta essent, uel ultra hoc quaedam militibus concessa sunt. De capitaneis enim constitutum est, ut orta contentione inter capitaneum et principem, quamuis pares illum beneficio priuandum adiudicassent, tamen, si iniuste hoc uel odio factum proclamasset, tam diu feudum teneret, donec ipse cum seniore et paribus ante imperatoris praesentiam uenisset; eademque ratione esset procedendum, si culpati pares in iudicio principibus defecissent. De militibus

1) Haec secundum Arn. I. 18 narrauimus. Landulfi fabulas supra refutauimus.

2) Nouissime editam ap. Pertz, Legg. II. 39. — Capitula autem de beneficiis (ibid. p. 38) a Pertzio eidem aetati ascripta huc non pertinere euicit Giesebrecht II. 629. „Rex" ille Conradus Heinrici IV. filius uidetur esse.

secundis autem decretum, ut similes eorum causae ante principes aut ante missum imperialem finirentur. Capitanei igitur provocabant a principis iudicio ad ipsum imperatorem, ualuassores a capitanei iudicio ad principes uel missos imperiales, haud dubie ne nimium augeretur causarum numerus in ipsa aula agendarum.

Talibus imperator cum uassallorum iurisdictionem rexisset, adiecit legem de beneficiorum iure hereditario. Qua omnia et capitaneorum et ualuassorum beneficia hereditaria constituit, et ita quidem, ut non solum patrem filii, sed mortuo filio nepotes quoque sequerentur auum pro parte patris, deficiente omni stirpe masculo, fratres sequerentur fratres legitimi ex patre in eis quidem beneficiis, quae iam a communi patre possessa essent[1]. Vetuit praeterea Conradus, ne ullus senior de suorum militum beneficiis cambium aut precariam aut libellum facere praesumeret, neue a bonis, quae proprietario iure aut per praecepta aut per rectum libellum siue per precariam illi tenerent, iniuste eos disuestire auderet.

Denique Conradus pollicitus est, fodrum siue annonam militarem quae e castellis imperatoribus in expeditione uersantibus competebat, nullo modo se esse aucturum.

Edicto hoc 5. Kal. Jun. etiam tum, „in obsidione Mediolani" edito, hac ipsa die imperator urbis conclusionem uidetur soluisse. Postridie enim, h. e. die dominica sanctae pentecostes exercitus iam castrum quoddam S. Ambrosii Curbitum (nunc Corbetta) dictum obsedit, quod a Mediolano tredecim milibus passuum distare animaduertit Giulini[2]. Hic contigit quod multi pro miraculo habuerunt. Cum enim imperator ornatus missam audiret, quam Bruno episcopus Mindensis nuper factus in paruula ecclesia canebat, subito de magna coeli serenitate fulmina cum tonitruis eruperunt tantae fortitudinis, ut supra sexaginta homines perirent in castris et magnus equorum uel iumentorum numerus. Quin

---

1) Hoc ita expressum: „Si forte abiaticum (i. e. nepotem) ex filio non reliquerit et fratrem legitimum ex parte patris habuerit, si seniorem offensum habuit, et sibi uult satisfacere et miles eius effici, beneficium, quod patris sui (Cod. Cau.: „p. sui uel fratris") habeat. Hic codicis Cauensis scripturam in textum esse recipiendam nemo non uidet.

2) Giul. III. 321. Quae proxime secuntur, narraui secundum Wiponem (cap. 36); Annal. San. Gall. mai. 1037, Hildesheim. 1037; Gesta episc. Camerac III. 55; Arn. I. 14, quorum testimonia optime consentiunt. Etiam Landulfus (II. 25) de hac re audierat, peruerse tamen subiungit, etiam Cunihildem, Heinrici III. uxorem, hic esse mortuam. Obiit enim demum anno sequenti, quo etiam Herimannus Sueuorum dux defunctus est.

etiam non pauci tanto terrore affecti sunt, ut in uesaniam inciderent, qua uix post aliquot menses liberati sunt. Inter quos Bertulfus, Conradi secretarius, uidisse se postea dixit S. Ambrosium „pro his quae rex male gerebat, indignatione commotum". Conradus ipse non territus fuisse traditur, disperso tamen exercitu per regiones, ipse ad montuosa loca concessit propter refrigerium, quoniam ea aestate magnus calor imminebat. Commoratus est ad lacum Gardensem, Veronae, Calderae, Taruisii, ubi fortasse humilem Popponis patriarchae subiectionem accepit, qui inde ex Ariberti fuga ipse suspectus Aquileiam euaserat[1]).

Ita primum illa ciuitas, quae posterioribus quoque imperatoribus tam saepe tamque pertinaciter restitit, Germaniae, Italiae, Burgundiae dominum de moenibus suis repulerat. Hac igitur in re uictus Conradus imperiali tamen dignitate dignissimum se ostenderat, lata lege et prudentissima et iustissima[2]), qua truces ualuassorum animos tantopere placauit, ut nunquam postea generalis eorum motus factus sit.

Wipo postquam Mediolanum obsidione liberatum retulit continuo addit haec: „Eo tempore imperator archiepiscopatum Mediolanensem Ambrosio Mediolanensi canonico dedit". Neque aliter Arnulfus (II. 14) narrato illo fato pentecostali statim subiungit: „Stabilita igitur deliberatione praesulatum tradidit Ambrosio Mediolanensis ecclesiae cardinali presbitero suoque capellano, etsi uidentibus, non tamen uolentibus episcopis". Contra haec duo testimonia Herimanni Fragmenta, in quibus Aribertus sequenti demum anno loco suo motus dicitur, uix ualebunt. Certe haec res minime profuit. Mediolanenses enim, Ariberti partibus fideliter adhaerentes, quicquid Ambrosius habuit in urbis territorio summa cum alacritate demoliebantur. Neque insidiae, quibus clam ille Aribertum insecutus est, pollicendo permulta et clericis et laicis,

---

1) Cfr. diplomata ap. Böhm. 1425 — 1429. De Popponis rebus pluribus agunt Annal. Altah. 1037 (ed. Giesebrecht p. 56 sqq.), quorum fides tamen hic non integra. Multa enim fabulosa immiscent, ut narratiunculam illam de conuiuio, quo Aribertus ueneno Conradum necare uoluerit.

2) Wipo: „iusta lege reducta"; Annal. San. Gall. mai. 1035: „scripto concessum est illis a rege, ius patrum suorum inuiolatum tenere". E quibus Herim. 1037. Optime Bethmann-Hollweg p. 142 n. 6: „*Er erhob zum Recht, was früher Gewohnheit gewesen*". — De singulorum episcoporum cum uassallis litibus etiam postea factis infra paucis agemus.

effectum habuerunt, imo pauci, qui cum eo senserant, detecta fraude a Mediolanensibus „in personis et propriis facultatibus“ puniti sunt. Conradus autem asperitate hac in re probata non minus quam decreto militum in fauorem edito episcoporum animos a se auertit.

Itaque factum est, ut Aribertus, qui iam primum audita contumelia sibi illata de „rege similiter honore priuando“ cogitauerat, ad id operis non solum ueteres amicos, ut Ardericum Vercellensem, episcopum Placentinum, sibi adiungeret, sed illos quoque, qui breui antea quam maxime ipsi restiterant, ut Hubaldum Cremonensem. Consentientibus igitur his et haud scio an compluribus aliis Italiae optimatibus[1]) Odonem comitem Campaniensem, saeuissimum et potentissimum omnium Conradi hostium, elegit, cui coronam offerret. Itaque missis clam ad eum nuntiis, inter quos Annal. Altahenses Adalbertum quendam cognomine Fortem commemorant, non solum communicat cum eo, quomodo ipse in regnum Italicum et Romanum imperium introduceretur, sed etiam quomodo Conradus cum exercitu suo interficeretur[2]).

Italorum legati — si Glabro Rodulfo[3]) in temporum dispositione fides — Odoni occurrebant iam tum Lotharingiae fines ingresso. Collecto enim undecunque permagno exercitu in Tullensem pagum descenderat ibique obsesso Commerceio Barrense castrum ceperat, ad quod custodiendum quingentos fere milites reliquit. Hoc ipso temporis puncto legatorum aduentus domum eum reuocabat. Quorum consilia libenter audiens et hianti cupiditate arripiens tamen non statim in Italiam se contulit, sed prius bellum Lotharingense renouare studuit. Haec bellandi ratio primo aspectu fortasse stu-

---

[1]) Annal. Altah. „duodecim coepiscopos“ coniurationis participes fuisse narrant; postea commemorant „coniurationem episcoporum *et omnium Longobardiae primorum*“, re haud dubie in maius elata. Principes enim seculares, qui post Heinrici II. mortem Francogallis fauerant, iam mutatis partibus Conrado uidentur adhaesisse. Aliter Giesebrecht II. 325.

[2]) Diem (natale scilicet S. Martini) indicant Annal. Altah.; rem confirmant Herim. Fragmenta: „augusto aut fugato aut necato“.

[3]) Rodulf. III. 9, SS. VII. 64. Quae de Odone narrantur, partim e fontibus supra (p. 12 sqq.) allatis, quibuscum conueniunt Annal. Hildesheim. 1037, Altah. 1038, partim sumta sunt ex Arn. I. 14; Vita Richardi abb. S. Vitoni cap. 11 (SS. XI. 286); Hugonis Flauiniacensis Chron. II. 29 (SS. VIII. 401). Breuiter has res tangunt Annal. Leodienses, Elnonenses maiores, Mosomagenses, S. Vincentii Mettenses, quos omnes iam enumerat Giesebrecht II. 680.

penda accuratiore disquisitione facilis est intellectu. Semper enim Francogalli, cum Germaniam aggrederentur, duobus in locis, in Italia pariter atque in Lotharingia bellum incitarunt, id quod additis quantum repperire potui causis uberius exponam in eis, quae de primis Conradi II. in Italia successibus mox in lucem edam. — Odo igitur circa finem autumni a. 1037. iterum progressus elato corde uel palatium Aquisgranense se inuasurum ibique Christi natiuitatem celebraturum praeiactauit. At cum primum castrum Barrense, a Teutonibus interea recuperatum, denuo obsideret, a Gozelone Lotharingiae duce eiusque filio Godefrido cum exercitu petitus infelici pugna ipse occubuit. Caput eius auulsum uictor imperatori in Italiam uersanti transmisisse fertur.

Tali modo Conradus ab hoste liberatus est: inimicorum imperialem aulam frequentantium insidias antea iam uidetur detexisse. Cum enim coniurati diem locumque determinassent, quo omnium legati conuenirent, conspirationemque iuramentis in uicem confirmarent, Bertha, uxor Maginfredi marchionis Segusiensis, socrus Herimanni Sueuorum ducis, comperto conuentu satellites suos illuc miserat omnesque legatos simul comprehensos reique ueritatem confessos ad imperatorem transmiserat[1]). Conradus proditores illos tres episcopos trans Alpes exulari fecit. Wipo narrat, multis hoc displicuisse, quod sine recto iudicio damnati essent, et uel Heinricum regem patris seueritatem in archiepiscopum Mediolanensem atque in istos tres clam esse detestatum. Certe seditio illa saeuissima in natali Domini Parmae exorta demonstrat, quanto contra Teutones odio Itali tunc affecti fuerint. Qua de re[2]) uel de expeditione a. 1038. in meridionalem Italiam facta pluribus agere non est huius loci: premamus econtra, Conradum primum festo paschali a. 1038. effecisse, ut Spellae, ubi Benedictum IX. obuium habuit, Aribertus ab ipso papa anathematizaretur[3]), deinde priusquam in Germaniam reuerteretur, uniuersos regni Italici primates compulisse, ut annuam Mediolani uastationem iurarent[4]).

1) Accuratiorem de his rebus narrationem debemus Herim. Fragmentis, quibuscum Giesebrecht II. 327 Annal. Altah. uerba non satis caute, ut mihi uidetur, conexuit.

2) Ad ea, quae de hac seditione collegit Giesebrecht, addas Necrol. Weissenburg. l. l. p. 43: 8. Kal. Ian. Diethoh, Cuono, Suidiger cum aliis occisi in Parma.

3) Cfr. Annal. Hildesheim. 1038; Herim. Fragm. 1038. Spella praeferenda uidetur Sutrio, ubi imperatorem pascha egisse tradunt Annal. Altah. 1038. Iam priori anno Benedictus Cremonam ad imperatorem uenerat; cfr. Wipo cap. 36, Herim. Chron. 1037.

4) Arn. II. 14.

Quo comperto Aribertus ad inaudita adhuc auxilia confugit. Iussit enim conuenire ad urbem omnes Ambrosianae parochiae incolas armis instructos, „a rustico usque ad militem, ab inope usque ad diuitem, ut densa coborte patriam ab hostibus tuerentur“. Ad inflammandos uero pugnantium animos signum quoddam, iam antea in diuersis Italiae partibus priuato usui adhibitum, bello aptauit. Procera trabs instar mali nauis robusto confixa plaustro erigebatur in sublime, aureum gestans in cacumine pomum cum pendentibus duobus ueli candidissimi limbis; in medio autem crux Saluatoris depicta imagine extensis late brachiis superspectabat pugnantium agmina. Hoc est carroccium illud, Mediolani postea, ut ita dicam, palladium, sub quo ciues felicissime uel contra Fridericum I. certauerunt.

Ineunte uere a. 1039. regni Italici principes, sicut imperatori promiserant, simul undique conuenerunt ad deuastandos Mediolanensium fines. Fuissetque grauis inter urbem regnumque conflictus, nisi nouus de Conradi morte rumor Italorum animos concussisset, adeo ut quam celerrime castra soluerent. Arnulfus narrat, tantam eorum fuisse confusionem, ut „ad inuicem collisi corruerent“; inter defunctos nominat signiferum Parmensem[1]).

Quamuis igitur Aribertus omnes sibi resistere conatos feliciter repulisset, tamen intellexit, necessariam esse cum nouo rege Heinrico reconciliationem. Neque ea difficilis erat, cum ipse Heinricus antea, ut diximus, patris seueritatem improbasset. Itaque Aribertus post pascha a. 1040. Ingelheim ueniens et de omnibus controuersiis, quas cum Conrado habuerat, satisfaciens, interuentu principum Heinrici gratiam promeruit et iterum iuramentis pacem fidemque se seruaturum affirmauit; sicque regem Coloniam prosecutus inde ad patriam remeauit[2]). Quamquam Heinricus qualis esset non ignorabat, iam a. 1042. eum „instinctui diabolico a cunabulis deseruisse“ prolocutus[3]).

Mediolani uero pax et quies aliquamdiu fuit inter diuersos ordines, militibus secundis haud dubie a. 1039. in urbem receptis.

---

1) Arn. II. 16. De carroccio optime egit Bethmann SS. VIII. 16. n. 88.

2) De his accurate Herim. Fragm. 1040. Cfr. Annal. Altah. 1040: „regis gratiam et suum recepit episcopatum“.

3) In dipl. saepius laud. ap. Muratori, Antiquitates VI. 217.

IV.
DE SEDITIONE PLEBEIA.

Inde a Langobardorum temporibus, apud quos iam Aistulfi aetate mercatores ad similem possessorum aestimationem peruenerant[1]), in multis Lombardiae et Tusciae urbibus, discreti non minus ab eis, qui feudali nexu tenebantur, quam ab aldionibus seruisque, non pauci antiquam libertatem seruauerant „arimanni, ciues (propria significatione), populus" dicti[2]). Quorum in numerum imprimis referendi sunt, qui ingenuiores, ut ita dicam, artes exercebant: aurifices, argentarii, ferrarii, monetarii[3]), negotiantes. Seditionum illarum contra episcoporum dominatum factarum, de quibus supra egimus, pariter fuerant participes atque ualuassores; Arduini in certaminibus episcopalibus ciues Eporedienses non secus ac milites eum adiuuerant[4]). Et iam circa haec ipsa tempora ubique fere ad maiorem et dignitatis et potentiae gradum ascendere coeperant. A. 1004. primum pugnae illae notissimae inter Lucenses et Pisanos in Tuscia emerserant; paulo post ciues Pisani uel contra Saracenos feliciter pugnauerunt[5]). Eodem modo Genua laetissima incrementa cepit, et — ut urbem quandam Lombardiae commemorem — a. 1014. arimanni Mantuani primum ab Heinrico II. diploma acceperunt, quo uaria eorum priuilegia confirmata sunt[6]).

Iam uero praeter ualuassores et arimannos alii quoque commouebantur: aldiones dico et seruos, imprimis ecclesiarum. Quorum res cum adhuc nondum satis illustratae sint, necessarium uidetur, causas rationesque, quibus illi agerentur, paulo accuratius explanare.

Postquam inde a Caroli magni aetate permulti homines liberi publicis, quae sibi iniunctae essent, functionibus, bellis, placitis,

---

1) Cfr. Edict. Aistulfi 3.

2) De harum uocum significatione cfr. praesertim Bethmann-Hollweg p. 132 sqq.; Hegel II. 143.

3) Monetarios tamen non nunquam inter uassallos recensendos esse, diploma docet ap. Fumagalli p. 272, cui duo „uassalli Theodori monetarii" subscribunt.

4) Cfr. Allocutio episcopi ap. Provana l. l. p. 340: maledicimus omnes ciues in Eporeria ciuitate habitantes, quicumque Ardoino et Amedeo conscilium dederint aut adiutorium.

5) Cfr. quae de his, fontibus accuratius examinatis, disputaui in: Jahrbücher des Deutschen Reichs unter Heinrich II. tom. II. p. 378 n. 1.

6) Muratori, Antiquitates IV. 13, Böhm. 1103.

aliis defatigati uel sub comitum tutelam uel — id quod saepius factum — sub ecclesiae immunitates fugissent, utrobique plenitudine libertatis amissa, circa finem fere seculi decimi in contrariam partem niti coeperunt. Cognoscimus id imprimis e regum et imperatorum legibus. Ita iam in constitutione, quam Pertzius Ottoni I. et II. ascribit[1]), leguntur talia: „Nostri imperii principes publici offitii et ecclesiastici ordinis, diuites et pauperes, maiores et minores, diuturnis querimoniis causantur, se a seruis suis propriis uiris debitum et proprium non posse habere obsequium. Alii liberos se ideo mentiuntur, quia domini eorum seruitutem, quam captioso more ac approbatione euadere temptant, nequeunt, ut sepe fit, approbare. Alii autem ideo ad honorem libertatis moliuntur ascendere, quia domini eorum diuersis negotiis impediti, ut forte fit, longo tempore eos ignorant, nec ad solitum sunt coacti seruitium, nec ullam saltim uocem indicem ad memoriam seruitii exsoluerint; et hac occasione se contendunt liberos et clamant se uixisse lege et usu libertatis, quia offitio seruili aliquantulum quieuerunt". Et clarius etiam seruorum studia elucebunt ex epistola Leonis episcopi Vercellensis circa a. 1000. scripta nuperque in lucem edita[2]). Vbi dicit haec: „Emergit importabilis paupertas et graue dispendium domui Dei, quod serui ecclesiarum *aliquibus diuitiis inflati* colluunt contra suos dominos et per neglectum priorum a iugo seruitutis in libertatis nobilitatem transeunt, et ipsam ecclesiam, ex cuius questu ditati sunt, et, ut esse poterit, quantum ad eorum iudicium libertati (h. e. liberati), in derisu ac despectu habent".

Vnde simul apparet, potissimam huius libertatis adipiscendae studii causam fuisse oeconomicam: opibus cum creuissent, etiam iura petebant, id quod aliis quoque temporibus factum uidemus.

Contra haec seruorum studia imperatores summa cum seueritate processerant. Ita iam Otto III. in constitutione supra laudata sancierat, ut unusquisque seruus inde ab anno aetatis uicesimo quinto „ad ostendendam suae seruitutis condictionem" in Kalendis Decembr. unum publicae monetae persoluere deberet denarium; si quis uero seruus iure libertatem sibi uindicare uellet,

---

1) Monum. Legg. II. 34. Potius tamen Ottoni III. ascribendam esse, apparet e codicis Florentini, qui solus eam exhibet, inscriptione: „Incipiunt capitula Ottonis III". Haec ex Merkelii et Bluhmii schedis mecum communicauit V. Cl. Boretius iur. utr. Dr. Videtur igitur constitutio cohaerere cum Leonis Vercellensis querimoniis; cfr. p. 38.

2) A Provana l. l. p. 347.

dominus per campionem litem dirimeret. Et — quod etiam grauius — adiecerat: „Non licebit seruo aecclesiae seruitute umquam exire; quem neque ipsi praesidentes aecclesiis poterunt libertare. Seruos igitur ecclesiarum liberos fieri omnimodo interdicimus, et liberos quolibet ingenio factos ad ius et seruitutem aecclesiarum reuocari precipimus". Quamque districte singulis in causis haec exercuerint, Ottonis III. priuilegium Leoni Vercellensi datum[1]) ostendit. Vbi haec: „Statuimus quoque, ut omnes filii uel filie clericorum et familia S. Eusebii in seruatione ecclesiae remaneant, neque liberis matris (libera mater?), si clerico suo adhesit, hiis qui nati fuerint prosint (prosit?) uolumus; rogamus etiam successores nostros, sub Dei timore contestamur, ut omnia cambia illicita et seruos ecclesiae illicite liberatos ad pristinum ussum uenire cogant et ad antiquam seruitutem uenire compellant, maxime Ingonis episcopi omnia cambia frangant etc". Quae quomodo deinde a Leone ad effectum perducta sint, ipse docet in epistola supra laudata: „Cartis contra leges factis, si quae erant, legaliter incisis, nobiliter acclamante populo, reuocauimus; quosdam etiam nullis cartarum colluuiis infectos, sed tantum longo tempore stultitia predecessorum nostrorum, qui fratres negligentes dicti sunt, non inquisitos ad pristinum seruitium reduximus". — Eadem uero, quae antecessores, ex synodi Papiensis oratione decreuit Heinricus II.[2]): „Filii omnium clericorum omniumque graduum seruorum ecclesiae, de quacumque muliere quocumque modo sibi coniuncta, fuerint nati, serui suae erunt ecclesiae, cum omnibus bonis adquisitis; et quia serui sunt et erunt, numquam de seruitio ecclesiae exire debebunt. Et omnia quae ipsi per manus et per scriptiones alicuius liberi adquisierint, ecclesiae sicut sua propria reddimus. Suo etenim iuri totum ecclesia ut proprium uendicabit, quidquid ullo ingenio ecclesiae seruus contraxit; nec ulli secundum phantasmaticos dabit adulterium libertatem". Vetuit praeterea, ne serui per manus liberorum ullas facerent scriptiones, et ut tabellionibus, qui scripsissent, manus dextra amputaretur constituit.

At quis est, qui ingenium humanum iura sibi competentia affectans coerceat?

Mediolani ualuassorum seditione eisque, quae postea contigerant, omnium ordinum homines grauiter erant commoti et concussi.

---

1) Editum ap. Provana p. 356.

2) Cfr. Leges Heinrici II. imperatoris Papienses, cap. 3— 7, ap. Pertz, Legg. II. 563.

Iam enim simul cum militibus secundis, ut Annal. San Gall. mai. (ad a. 1035.) tradunt, etiam „quidam e seruili conditione contra dominos suos proterua factione conspirati, ipsi sibimet inter se iudices, iura ac leges constituerant, fas nefasque confuderant". Omnes denique, cum a. 1039. regni Italici principes urbi appropinquassent, omnes ab Ariberto ad arma erant uocati, arimanni (quorum numerum opesque e documentis nobis seruatis[1]) satis magni aestimaueris) pariter atque serui. At quid armorum feliciter gestorum conscientia ualeat ad libertatis studium excitandum, neminem ignoraturum spero, qui nostrorum temporum historiam uel paululum inspexerit.

Pugnauerant igitur et arimanni et serui: sed nihil tulerant praemii. Contra ualuassores, quibus pars quidem illorum restiterat, non solum omnibus, quae concupiuerant, erant potiti, sed etiam in urbem reuersi prisca libidine uidentur egisse. Quid igitur — si ad communem inferiorum ordinum motum respicias — quid igitur mirum, quod tumultus ciuiles nondum finem acceperint? Quamuis pax specie esset, clam tamen odia augeri oportebat. Quomodo tandem eruperint, Arnulfus narrat hisce (II. 18): „Nullis exterius aduersantibus in semet ipsos exercent odia ciues. Factum est autem, ut priuato inter se iurgio plebeius quidam grauiter caederetur a milite. Vnde plebs dedignanter commota, repente aduersum milites in arma consurgit; ipsi autem velut incauti iuxta posse resistunt. Inde fomes pululat odiorum et partium fiunt iuramenta quam plurima".

Iam igitur hic quaerendum, quosnam sub uoce „plebis" comprehenderit Arnulfus. Haud dubie arimannos; sed, ut equidem puto, etiam Ambrosianae ecclesiae seruos uel certe partem eorum opibus et fortitudine insignem. Confirmatur haec sententia uerbis Landulfi, qui, quamuis in singulis fide non dignus sit, tamen in re primaria, in partium distributione errare non potuit. Dicit autem haec (II. 26): „Bella grauissima in urbe, *populo aduersus maiores pro libertate acquirenda, proeliante*, quam olim parentes eius ob nimiam hominum raritatem amiserant, crudelissime adorta sunt", et postea: „populus paupertate fortis, *pro acquirenda libertate*

1) Eis praesertim, quae edidit Fumagalli. „Monetarios" apud eum inuenies p. 218. 250. 270. 510; „aurifices" p. 90. 143. 144. 395; „negotiantes" p. 97. 103. 144. 152. 276. 358. 362. 389. 436. 548. 550; „ferrarios" p. 439. 450; „argentarium" p. 410. Cfr. Giul. III. 227. 228. 233. 515.

fortissimus, diuitiis anxius, sed *studiosior libertate* etc". Atque uiginti fere annis post illa uoce non tantum arimannos quantum plebem his inferiorem ab Arnulfo significari iam docuit Hegel [1]).

Moto igitur post mensem Aprilem a. 1042.[2]) tumultu, plebs eo imprimis conualuit, quod — ut etiam postea semper fere factum uidemus — unus ex ingenuis ciuitatis militibus, e capitaneis, ut uidetur[3]), dux eius effectus est. Fuit is Lanzo, idem fortasse, cuius nomen antea tamquam „notarii et iudicis sacri palatii" saepius in diplomatis inuenitur[4]). Hoc indignati et simul fidelium suorum amore moti ceteri capitanei militibus secundis sese consociant. „Eodemque tempore" — ita pergit Arnulfus — „multa sompnia multaque narrantur in urbe prodigia. Cumque ciuitas tali penderet in dubio, repentinus auditur in ea clamor modica occasione conceptus. Fit ingens concursus omnium; atrox pugna committitur per plateas et angulos; diu certatur utrimque tectis et culminibus. Demum militum paucitas multitudine circumuenta plebeia undique flammis urgetur et ferro. Vnde factum est, ut cum natis et uxoribus propria tecta irati desererent". Quibus etiam statim auxilio uenerunt milites Seprienses et Martisamnenses.

Aribertus tunc temporis graui morbo afflictus fuit: cum alterum mense Aprili conderet testamentum[5]), quo canonicis prope ecclesiam S. Mariae Hiemalem a se ipso institutis multa bona delegauit, „propter infirmitatem suam, quam grauiter abebat, scribere minime potuit". Certe tum partium pugnas sedare non potuit; cumque milites suos exisse comperisset, paucis diebus interiectis et ipse urbem reliquit, illorum ut rebus consuleret.

Hisce auxiliis confortati milites statim contra sex urbis portas, Romanam, Ticinensem, Vercellensem, Comacinam, Nouam, Orientalem sex castella muniunt, in quibus cum omni cohabitantes familia firmissimam circumquaque urbis obsidionem constituunt, die noctuque caede grassantes. Ab his enim oppidis exeuntes totidem oppugnant urbem assidue partibus. Nec minus plebs saepe portis

1) L. l. II. 168. Bethmann-Hollweg p. 143 cum uocem „plebs" ita exprimat: „*die nicht lehntragende Bürgerschaft*" solos uidetur indicare arimannos.

2) De tempore cfr. Giul. III. 368. Non ante mensem Aprilem motum exortum esse, concludit ex Ariberti testamento secundo in ipsa urbe facto.

3) Arn.: „ingenuus civitatis miles"; Land.: „nobilis et capitaneus altus". Arnulfum idem significare noluisse docent sequentia: „*cetera nobilitas*"; cfr. p. 16 n. 2.

4) Enumerantur a Wattenbachio, SS. VIII. 16. n. 90.

5) Typis expressum est ap. Giul. III. 525.

erumpeus, nunc se pugnando defendit, nunc illos ultro aggredi contendit. Raro igitur transit absque sanguine dies (Arn. II. 19).

Non satis constat, num in ceteris quoque Lombardiae urbibus eodem tempore similes motus prouenerint. Id unum compertum habemus, Cremonenses tunc iterum contra episcopum suum rebellasse, sed non solum plebem, sed etiam ualuassores[1]), et Litigerium quoque episcopum Comensem cum quibusdam militibus suis litem de reditibus quibusdam exercuisse[2]).

Ad soluendas has contentiones circa initium, ut uidetur, a. 1043. ab Heinrico III. Adalgarius cancellarius, ut ipse dicit „regis uice" in regnum Italicum missus est. Inuenimus eum in iudicio residentem Ticini 13. Kal. Maias cum ipso Ariberto, cum episcopis Rainaldo Papiensi, Riprando Nouariensi, Litigerio Comensi[3]); necnon Comae, ubi litem inter episcopum et uassallos in illius gratiam diremit. Similiter etiam literas direxit „omnibus militibus ualuassoribus omnique populo in episcopatu Cremonensi seu in comitatu habitantibus, nec non cunctis ciuibus tam maioribus quam minoribus", ut „quacumque die uel tempore Hubaldus Cremonensis episcopus placitum tenere uellet, omnes communiter conuenirent"[4]).

Quomodo Mediolani denique res ordinatae sint, parum liquet. Landulfus quidem fuse narrat (II. 26), Lanzonem a militibus pressum in Germaniam ad Heinricum profugisse, qui auxilium ei promiserit, si antea fidem fecisset, quatuor milia equitum Teutonicorum in urbem se recepturum. Primum Lanzonem hoc confirmasse, reducem uero in patriam, Teutonum timore affectum, plebem et milites consiliis suis et orationibus ad mutuam reconciliationem perduxisse. Sed haec narratio cum manifestis erroribus scatet[5]), tum Arnulfi uerbis et uniuersae rerum Italicarum conditioni oppugnat. Rectius, sed — quod dolendum — etiam breuius Arnulfus haec (II. 19): „Cumque triennio partes sic baccharentur, utraeque uicissitudine quadam quid contra se inuicem possent frequenter

1) Cfr. Literae Adalgarii ap. Muratori, Antiquitates VI. 53.

2) Cfr. Placitum ap. Ughelli V. 287.

3) Placitum ap. Muratori, Antiquitates V. 521.

4) Cfr. Placitum ap. Ughelli V. 287; Literae Adalgarii l. l.

5) Sic eius uerba: „Henricum imperatorem, qui nouiter, contra tamen Heriberti uoluntatem surrexerat", et postea: „Heribertus, quia Henricus de Conradi progenie originem duxerat, . . . a regno, contra quod eius uoluntatem sibi sumpserat, omnino dissentiens, ut alium Roma cum Italia regem haberet, solliciter operam dabat", aperte falsa sunt.

expertae, ueniunt ab augusto legati, treguam inuiolabilem indicentes, quam totius regni uirtute et conscilio iureiurando confirmant". Quorum princeps haud dubie fuit Adalgarius.

Anno deinde sequenti (1045.) Heinricus rex Augustae Vindelicorum Longobardorum conuentum habuit et cum eisdem illius regni res disposuit[1]). Ex omnibus, quae praecesserant et quae secuta sunt, id unum haud immerito conicias, non plebis sed principum in fauorem hanc ordinationem esse factam. Non, ut pater, Heinricus inferiores populi ordines sibi adiungere curauit; non lege et institutis rerum statui accommodatis populum re uera placare studuit; potenti arbitrio eum prostrauit. Itaque factum est, ut quamdiu uiueret plebs quidem quiesceret, sed uix defuncto eo saeuissimi illi patarenorum tumultus nascerentur. Tum autem non imperatores fuerunt, qui hos et regerent et uel in usum suum conuerterent, sed pontifices Romani: libertas urbium Italicarum cum his coniuncta, illis effloruit aduersa, id quod posterioribus imperatoribus summo fuisse damno nemo ignorat.

Aribertus autem iam circa finem a. 1044. Modoetiae degens iterum graui morbo percussus est. Cumque ad mortem se aegrotare uidisset, condito tertio testamento, quo cognatos suos et praesertim Gariardum illum, de quo supra diximus, omnibus eis donauit, quae Antimiani possideret[2]), ad urbem se deferri iussit, ubi cum aliquantis languisset diebus 17. Kal. Februar. a. 1045. obiit[3]). Sepultus est ad S. Dionysium, ubi ipse elegans fundauerat monasterium. Plura de eius obitu narrat Landulfus, non tamen, ut uidetur, certis fundamentis fultus; uaria quae corpus uel post sepulturam tulit fata accuratius idem exposuit[4]).

Nemo ex archiepiscopis Mediolanensibus tanta potentia usus est, qua Aribertus inde ab a. 1026. usque ad a. 1035. et uel postea usque ad a. 1039. Contra circa finem uitae uel Mediolanum suo dominio uidit subtractum seque ipsum quasi in exilio degentem. Ita quamuis et prudentia et animi fortitudine polleret, firma tamen et stabilia non exsecutus est: supra modum egressus, quaeque seculum posceret ignorans iustis poenis subiacuit.

[1]) Annal. Altah. 1045.

[2]) Editum est hoc tertium testamentum ap. Puricelli p. 414. Cfr. Arn. II. 20.

[3]) Diem obitus cognoscimus ex epitaphio, quod edidit Giulini (III. 391), cui consentit Landulfus (II. 32).

[4]) Arn. II. 20; Land. II. 32. 33.

APPENDIX.

Ariberti Regesta.

1007. Iul. 2.	Prope Mediolanum.	Transfert corpus S. Adeodati. Giul. III. 56.
1018. Mart. 29.	Mediolani	Consecratur archiepiscopus.
1018. Iul. 31.	Mediolani?	Mittit Antonium presbyterum et uicedominum eccles. Mediol., ut adsit concambio inter Gotefredum II. abbatem S. Ambrosii et Petrum decumanum officialem basilicae S. Martini faciendo. Extr. ap. Giul. III. 142. 143.
1018. Ante Nou.	Clauate	Transfert reliquias S. Calocerii ad locum Clauate. Giul. III. 146.
1018. Nou.	In loco, qui dicitur Belaxio (Bellagio)	Vincitur in placito Anselmi missi imperialis simul cum Alberico episc. Cumano et Andrea abb. monast. S. Calocerii de locis quibusdam a Gotefredo abb. S. Ambrosii uindicatis. Muratori, Antiquitates V. 931.
1019. Sept. Oct.	Strazburg	Adest conuentui principum Italicorum ab Heinrico II. habito. Pertz, Legg. II. 38.
1021. Nou.	Mediolani	Adest Hugonis marchionis placito. Giul. III. 510.
1021. Dec. 6.	Veronae	Adest placito ab Heinrico II. in solario S. Zenonis habito. Muratori, Antichità Estensi I. 129.
1022. Febr.	Mediolani	Mittit Ambrosium subdiaconum ad faciendum concambium inter Benedictum ciuem Mediol. et Gotefredum abb. Giul. III. 166.
1022. Aug. 1.	Pauiae	Adest synodo a Benedicto VIII. habitae[1]). Pertz. Legg. II. 562.

[1]) De eius tempore pluribus disputabo in: Jahrbücher des Deutschen Reichs unter Heinrich II. tom. III.

1023.	Mediolani	Fundat monasterium prope basilicam S. Dionysii. Puricelli, De SS. Arialdo et Herlembaldo Lib. IV., cap. 93, n. 10. Extr. ap. Giul. III. 177.
1025. Iun. 6.	Constantiae	Fidem facit Conrado. Obtinet episcopatum Laudensem. Wipo cap. 7.
1026. Mart. 23.	Mediolani	Obtinet a Conrado confirmationem monasterii S. Ambrosii. Puricelli, De SS. Arialdo et Herlembaldo Lib. IV., cap. 93, n. 11. Extr. ap. Giul. III. 198. 199.
Circa idem tempus.	Mediolani	Coronat Conradum in regni Italici regem. Arn. II. 2. Abbatiam obtinet Nonantulanam. Muratori, Antiquitates V. 678.
1027. Mart. 26.	Romae	Adest imperiali Conradi II. consecrationi. Arn. II. 3.
1027. Apr. 6.	Romae	Synodi decretum, ut Rauennas nullo modo in ceterum se Mediolanensi archiepiscopo praeferat. SS. VIII. 13 n.
1028. Mart.	Mediolani	Emit curtem Talaminam. Giul. III. 516.
1029. Dec.	Mediolani	Mittit eccl. Mediol. presbyterum, qui concambium inter Widonem abbatem S. Ambrosii et Dominum argentarium confirmet. Extr. ap. Giul. III. 227.
1033. Mai. 3.	Mediolani?	Donatur ab Aria uidua quarta parte molendini et bonorum quorundam prope Mediol. sitorum. Giul. III. 243.
1034. Mart.	Mediolani?	Primum Ariberti testamentum. Puricelli p. 367 sqq.
1034. Aestate.		Expeditio in Burgundiam facta.
1035.	Mediolani	Seditio ualuassorum.
1036. Mart.	Mediolani?	Donationem facit ecclesiae S. Victoris sitae in loco Varese. Giul. III. 523.
1036.	?	Rodulfum ordinat abbatem Nonantulanum. Mur. Antiquitates V. 679.
1037. Ian.–Mart.	Mediolani	Conradum imperatorem suscipit.
1037. April.	Papiae	Principum conuentus. Capitur Aribertus; „post aliquot dies“ euadit.
1037. Iun.	Mediolani	Obsidetur.
1040. Ante Mart. 29.	In castro Cassano	Monasterio Tollensi complura donat praedia. Campi, Storia eccl. di Piacenza I. 507; Ughelli IV. 103. Extr. ap. Giul. III. 351 sqq.

1040. April 6.	Ingelheim	Pascha cum Heinrico III. agit. Herim. Fragm. 1040; Annal. Altah. 1040.
1042. April.	Mediolani	Grauiter infirmatus secundum condit testamentum. Giul. III. 520.
1042. Post Apr.		Mediolano discedit.
1043. Apr. 19.	Papiae	Adest placito Adalgarii missi. Mur. Antiquitates V. 521.
1044. Dec.	Modoetiae	Tertium condit Testamentum. Puricelli p. 414 sqq.
1045. Ian. 16.	Mediolani	Moritur.

Acta eius incerti temporis:

Ante a. 1028.	Mediolani	Generalis clericorum et monachorum Ambrosianae dioceseos conuentus ab Ariberto habitus. Puricelli p. 362 sqq. Cfr. Giul. III. 207.
?	Mediolani	In generali presbyterorum et diaconorum cardinalium conuentu Aribertus constituit, ut ecclesia prope uillam Ternate ab Ansegiso condita „in perpetuum inuiolata permaneret secundum quod ... Ansegisus instituerent". Puricelli p. 364 sqq.
?	Foris ciuit. Mediolanens.	Consecrat ecclesiam S. Michaelis et S. Petri. Dipl. extr. ap. Giulini III. 216.

Berolini, typis expressit Gustavus Lange.

CORRIGENDA.

P. 7 l. 13: pro „legation iinterfuisset“ l. „legationi interfuisset“.

P. 7 l. 19: pro „erubescrre“ l. „erubescere“.

P. 27 n. 2: pro „I. 12“ l. „II. 12“.

P. 27 l. 29: Verba „cum Heinrico filio et“ delenda sunt. Heinricum enim iam tum patrem esse comitatum, unus tradit Wipo. Econtra Annal. Hildesheim. 1027 expresse dicunt, eum cum matre et uxore natale Domini celebrasse Ratisponae; et Annal. S. Emmerammi 1037, SS. XVII. 571 (Heinricus rex filius Chuonradi imperatoris cum multitudine militum profectus est in Italiam) uidentur indicare, eum postea demum patrem esse secutum.